Digitized by Google

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
7
8 E
9
ROMA


Digitized by Google

38. 7. 24.

Digitized by Google

SYNODVS DIOECESANA MACERATENSIS

Habita Anno Domini 1651.



MACERATÆ,

Ex Typographia Auguſtini Griſei. MDCLI.

Impreſſoris Epiſcopalis.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAPIRIVS DE SILVESTRIS

DEI, ET APOST. SEDIS GRATIA EPISCOPVS MACERATÆ,

CLERO, POPVLOQVE MACERATENSI.

CVM Chriſtus Dominus iterum, ac tertiò, Petrum ſuo gregi mox præficiendum de amore, quo ſe proſequeretur, interrogaſſet, ad triplex eius reſponſum, triplici mandato apertè nos docuit, omnem in ſe dilectionem non verbo, neque lingua, ſed aſſidua gregis ſui ſollicitudine, atque cuſtodia concludi. Id nobis altius inſedit animo, iam tum, cùm primùm diuina miſeratio nos poſuit regere hanc Eccleſiam: ac propterea, quod infirmitatis noſtræ fuiſſet, nullum aut laborem ſubterfugere, aut diligentiam præterire, nihilque ſubtrahere vtilium ſtatuimus, quo minus annunciaremus omne conſilium Dei Vobis; vt vniuerſi noſtri gregis incolumitati ſedulò proſpectum foret. Id ipſum nos compulit, vt Synodales haſce Conſtitutiones ederemus, quibus omnis, ſi quæ aut tabes, aut macula in gregem Domini irrepſiſſet, ſalutari purgaretur medicamento. Eiuſmodi enim eſt figmentum noſtrum, vt cum puluis ſimus, de mundano puluere corda ſordeſcere,

mores

ROMA

mores corrumpi, aggrauari animam quotidie contingat. Non vt confundamus vos hæc præmittimus, ſed vti filios cariſſimos, monemus in Domino, atque obteſtamur, vt quæ paterna erga vos cura, zelo, & charitate, ad Omnipotentis Dei laudem, & veſtram ſalutem decreuimus, eadem pari attentione, ſtudio, ac pietate legatis, amplectamini, & obſeruetis. Veſtrum ſiquidem bonum ſpectant, quod ſolum nobis animo, oculiſque obuerſatur: eo quod habeamus vos in corde, ac velimus vos omnes gaudij noſtri ſocios eſſe, atque auctores. Idcirco quamuis ſummus animarum noſtrarum Epiſcopus, Paſtores ſui gregis vi quoque per Eccleſiaſticas Cenſuras alligandi contumaces armauerit; ita tamen minimùm, quàm potuimus, vti deliberàuimus, ne duriùs agamus, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit nobis in ædificationem, & non in deſtructionem; haud etiam ignari, naturam humanam facilius duci, quam trahi. Valete, memores propoſiti veſtri, amoris noſtri.

SYNOPSIS

SYNODALES Conſtitutiones, quæ ſolùm Dei cultũ, perfectam Cleri formam, Locorum Piorũ incolumitatem, denique animarum Salutem ſpectando ſunt editæ, non commodiùs in publicam venire lucem eſt viſum, quàm ſi quadripartito titulo finis inſtitutionis innoteſceret.

TITVLVS PRIMVS de Cultu Dei, & Sanctorum.

TITVLVS SECVNDVS de Perſonis Eccleſiaſticis.

TITVLVS TERTIVS de Locis Pijs.

TITVLVS QVARTVS de Animarum Cura, & Salute.

Digitized by Google

S. IVLIANVS



PATRONVS
CIVITATIS MACERAT.

Digitized by Google

TITVLVS PRIMVS

De Cultu Dei, & Sanctorum.

CAPVT PRIMVM

De Fide Catholica, eiuſque profeſsione.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

CVM ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, & quod inde conſequens eſt, nulla ſuperſit ſpes ſalutis, omnis in primis cura adhibenda eſt, vt eä illibata ſeruetur, prout à S. Catholica Romana Eccl. nobis eſt tradita.

2. Omnes animarum curatores diligenter inquirant, an quis vel verbis, vel factis parum ſanæ fidei ſigna præſtiterit; Deprehenſos vel ad nos, vel ad Vicarium noſtrum Generalem, aut ad Sanctæ Fidei Inquiſitores deferant. Haec autem cura adhibenda praeſertim eſt erga recens conuerſos ad Fidem, erga circumuagos, & erraticos, aut è locis de Fide ſuſpectis aduectos.

Inquirendum in hæreticos.

3. Si fortè acciderit, Hæreticum quempiam in noſtram Diœceſim aduentare, ſub Anathematis pœna mandamus omnibus, quibus talem eſſe conſtiterit, vt nobis denun-

Hæretici deferendi.

cient; vel ſi id per ſe præſtafe non poterint, Vicario Generali, aut Foraneis notum id faciant.

Populus admonēdus de rebus contra fidem.

4 Prædicatores, & Parochi populum frequenter admoneant de ijs, quæ Fidei noſtræ ſinceritatem commaculant; videlicet de vanis obſeruationibus, & ſuperſtitionibus, incantationibus, maleficijs, & ſimilibus.

De fide non diſputandum à laycis.

5 Meminerint omnes laycæ perſonæ, rudes præſertim, ac mulieres ſe laqueo excommunicationis innodari, ſi de rebus Fidei, vel publicè, vel priuatim diſputent.

Quæ ad Iudæos ſpectant.

6 Id autem maximè caueant cum Iudæis, quorum habitatio omnino prohibetur in hac noſtra Ciuitate: & ſi fortè peregre huc eorum aliquis adueniat, ſolitum gerat in galero ſignum croceum; ſcilicet vt ex parte ſuperiori totus eo colore ſit imbutus: hoſpitari non poſſit, niſi ad modicum tempus, & in loco deputando: Certum habeat hoſpitium; famulatu Chriſtianorum non vtatur; caueat ſub grauiſſimis pœnis, ne aliquid in Chriſtum Dominum, Beatam Virginem, aut Sanctos dicat; per hebdomadam Sacram non vagetur per Vrbem: Chriſtianis infirmis nullo modo medeatur; Demum talem ſe gerat, vt nullus ab eo occaſionem peccandi, aut ſcandali patiatur.

Deputati ad hoc.

7 Hoc autem commodè fiet, ſi exactè ſeruentur, quæ ſuper hac re à Sancto ſunt Officio ſtabilita. Deputatum in hoc volumus, & nominamus R. D. Hieronymum Palmuccium Sac. T. D. eiuſq; Coadiutorem R. Franciſcum Iohmangelum.

Vſurpatio ſententiarū ex ſacra ſcriptura.

8 Deteſtabilem eſſe apud aliquos vſum accepimus, vt inter iocoſa, & ſcurrilia ſæpius ſententiam aliquam è ſacris ſcripturis decerptam vſurpent; quod ſine Diuinorum librorum, & Sancti Spiritus, qui eorum eſt autor, contemptu fieri nequit; nec ſine ſuſpicione parum ſanæ mentis in fide. Vnde ſtrictè præcipimus, vt quiſque in

poſte-

Digitized by Google

poſterum à tam pernicioſa conſuetudine abſtineat; ſecus facientes iram Dei, & pœnas arbitrio noſtro infligendas incurrent.

Profeſſio fidei à quibus faciēda.

9 Fides hæc, quæ omnium mentibus ineſſe debet, neceſſe eſt ſaepius, vt in verba quoque proſiliat: Ore enim fit confeſſio ad ſalutem. Propterea mandamus iuxta Sũmorum Pontificum, & Sacri Concil. Trident. Statuta, vt profeſſionem fidei ab eodem Concilio præſcriptam faciant omnes beneficijs prouiſi, curam animarum habentes, Canonicatum, vel aliam dignitatem in Cathedralibus ſuſcipientes; eamque pręſtent infra duos ab adepta poſſeſſione menſes vel in manu noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis; alioquin nec poſſeſſio illis ſuffragetur, nec ſuos faciant fructus. Qui verò Canonicatum, aut dignitatem ſuſcipiunt, eamdem profeſſionem iuxta mentem eiuſdem Concilij præſtent pręterea in Canonicorum capitulo infra idem tempus, eademque ſub pœna.

Conc. Trid. ſeſſ 24. de ref. c. 12.

10 Idem mandamus Concionatoribus omnibus quamcumque Doctoratus lauream ſuſcipientibus; magiſterium cuiuſcumq; facultatis exercentibus; miniſtris quibuſcunque in cauſa fidei aſſumptis.

11 Pręcipimus etiam Bibliopolis, ac librorum Impreſſoribus, vt infra quindecim dies poſt harum legum promulgationem idem praeſtent.

CAPVT SECVNDVM

De Libris prohibitis.

Per libros irrepunt errores,

1 QVONIAM maximè per lectionem librorum in animum ſerpit errorum tabes, cura non me-

 diocris

diocris adhibenda eſt, vt ij, qui hoc veneno imbuti eſſe deprehenſi ſunt, non imprimantur, aut impreſſi non vendantur, aut detineantur: ſed ſuſpendantur omnino.

Non legendi, neq; habendi.

2 Nemo legat, aut habeat libros quacunque ratione prohibitos: Et ſi ij ſint haereticorum, vel ob haereſim, aut falſi dogmatis ſuſpicionem damnati, qui eos legerit, aut habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurret: Si alio nomine interdicti fuerint, quicumque eos legerit, aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficietur, noſtro iudicio, iuxta Regulas Indicis, ſeuerè punietur. *Reg. 10. Ind.*

Facultas legendi.

3 Meminerint omnes Conſtitutionis editae ab Vrbano VIII. die 2. Aprilis 1631. qua coarctantur indulta, & facultates legendi huiuſmodi libros, vnde omnes licentiae non iuxta eam Conſtitutionem obtentae, irritæ ſunt, ac nullae.

Impreſſores nõ ſine licentia.

4 Impreſſores librorum ſub pæna amiſſionis eorundem, nec non aliarum mulctarum noſtro arbitrio, nullum imprimant librum, aut quoduis aliud typis mandent, ſine licentia vel à nobis, vel à ſuper id deputatis obtenta; Et initio librorum tum nomen autoris, tum Vicarij noſtri facultas apponatur, ſub pœna ſcutorum 30.

Bibliopolæ.

5 Bibliopolae indicem omnium librorum venalium habeant, nobiſque deferant; nec nouos ſine noſtra facultate libros aliunde recipiant, receptoſq; in indicem referant ad nos tranſmittendum infra octo dies: ſecus facientes libros amittent, & alias dabunt pœnas arbitrio noſtro.

Venditores indicem faciant, ac monſtrent.

6 Qui in Plateis varios libellos, & impreſſas paginas venales exponunt, id non faciant, antequam eorum indicem ad nos detulerint, approbatumque receperint, ſub pœna amiſſionis talium librorum.

7 In

Digitized by Google

7 In his ſeruandis maximè inuigilent, quos deputamus.

Librorum Correctores.

Adm. R. R. D. D.

Bartholomæum Palmuccium I.V.& S.T.D.Can.Cathed. Librorum correctores.
Bernardinum Vliſſem I.V. Phil. & S. T. D.
Fr. Vincentium Gulium Min. Conu. Mag. S. T. & Phil. Profeſs.
P. Vincentium Donum Soc. Ieſu S. T. Profeſſ.
D. Hyppolitum Auriſpam.

CAPVT TERTIVM

De Blaſphemijs.

1 QVI blaſphemare conſueuit, iam addictus videtur aeternis cruciatibus, vbi non alius auditur ſermo, quàm blaſphemantium: Vnde ſummo animi noſtri deſiderio vitium tam execrabile è noſtra Diœceſi eradicare cupientes, prohibemus ludos omnes publicos, qui in priuatis domibus aperiuntur; vbi ſępe audiuntur blaſphemiae, quales nec inter gentes. Grauitas blaſphemiæ. Ludi publici prohibiti.

2 Quòd ſi quis in poſterum (quod Deus auertat) in hoc deteſtabile peccatum inciderit, his pœnis ſubiacebit. Pœnę blaſphemantium.

3 Si Clericus in eo conuictus fuerit, prima vice beneficiorum fructus vnius anni; ſecunda beneficium ipſum amittet; tertia ad alia deinde beneficia obtinenda inhabilitatem incurret: ſi Sacerdos fuerit, à diuinis ſit ipſo facto ſuſpenſus. In Clericos.

4 Si

4 Si beneficium non habuerit, prima vice ſcuta 50. aut pœnam aliam corporalem noſtro arbitrio ſoluet: ſecunda annuo carceri; tertia ad triremes damnabitur.

In Laycos. 5 Layci Blaſphemi, ſi ſemel in hoc deprehenſi fuerint, ſoluent ſcuta 25. ſi bis, duplo; ſi ter, quadruplo luent. Si ſoluendo non ſint, pœnam ſubibunt corporalem aut publicae fuſtigationis, aut triremium, aut aliam noſtro arbitrio,

Referendi blaſphemantes. 6 Meminerint omnes grauis, quo alligantur, pręcepti, deferendi ſcilicet vel ad nos, vel ad alios Sacrae Inquiſitionis Miniſtros, quemcumque audierint haereticales blaſphemias euomere.

Nam abſoluendi. 7 Monemus etiam Confeſſarios omnes, ne facilè abſolutionem impendant ijs, qui cauſa ludi blaſphemare conſueuęrunt, niſi prius ſeriò à ludo abſtinere promittant.

CAPVT QVARTVM
De Vigilijs, ac Feſtis.

1 QVEM diem quieti poſt conditam vniuerſitatem addixit Deus, hunc voluit omni vacuum cura, atque humana ſollicitudine ſibi vacare, ac nobis. Intelligant igitur omnes Chriſtifideles, dies feſtos inſtitutos eſſe, non ad ludum, aut luxum, ſed ad vacandum, & videndum, quàm ſuauis ſit Dominus; ad recognoſcenda eius beneficia, pro ijſq; gratias agendas: vt inuiſantur frequentiùs Eccleſię; vt ſumma animi tranquillitate ibi diuina audiantur officia; vt anima ſpirituali cibo nutriatur.

Finis feſtorum.

Indicenda populo feſta. 2 Parochi, & omnes animarum rectores ſingulis diebus Dominicis, dum Sacrum peragunt, admoneant populum

pulum de Feſtis, ac vigilijs proximæ ſequentis hebdomadæ: Habeant tabellam feſtorum, ac vigiliarum, quæ ex præcepto ſeruantur in Vrbe, ac Diœceſi noſtra.

3 His diebus feſtis tenentur omnes non legitimè impediti ſacrificium Miſſæ attentè, ac reuerenter audire. Audiendum Sacrum.

4 In ijs non licet exercere vllum opus ſeruile, ac mechanicum, quod per ſe famulatum exigit; Non merces, & ſimilia per iumenta transferre. Quod ſi aliqua opera ex neceſſitate fieri contingat, vt ſunt tempore vindemiæ, meſſis, collectionis fœni, & ſimilium, quæ non parum detrimenti ex mora paterentur; Id non fiat, niſi habita facultate à Vicario Generali, & audito Miſſæ ſacrificio. In his autem non intelligimus comprehēdere aduectionem in Ciuitatem fructuum, ſeu aliarum rerum, quæ victui quotidiano deſeruiunt, quæq; conſumuntur in dies. Opera ſeruilia non exercenda.

5 Qui mercaturæ cauſa tranſuehit hinc inde merces, poterit diebus feſtis, audito prius ſacro, iter proſequi, non tamen inſtituere.

6 Mercatus, qui ſtatutis diebus per ſingulas hebdomadas fieri ſolent, ſi inciderint in diem feſtum, ſiue pridie fiant, ſiue poſtridie. Mercatus non faciendus.

7 Circulatores, Mimi, Scurræ, Comici, & qui quæſtum ſuum in ſcurrilitatibus poſuerunt, ac nugis, ſileant omnino diebus feſtis. Circulatores ſileant.

8 Sileant etiam Fora, & Iudicia omnia. Et Fora.

9 Apothecæ, & Officinæ occludantur. Apothecæ claudendæ.

10 Dies feſtus, ſicut & vigilia à media in mediam noctem perdurat: Vnde ſi quis protraheret opus ſeruile nocturnum poſt mediam noctem vergentem in feſtum, peccaret grauiter pro temporis quantitate. A media in mediam noctem.

11 Idem ſimili ratione dicendum de vigilijs, quæ ijſdem temporibus præfiniuntur; & qui vltra mediam noctem,

Digitized by Google

ctem, quæ vergit in vigiliam, vetitos cibos ſumit, ſciat ſe peccare mortaliter.

Anticipatus vſus carnium.

12 Hìc autem animi noſtri dolorem diſſimulare non poſſumus, quo nos afficiunt non omnes, vt S.^mus PP. Gregorius conquerebatur, ſed nonnulli, qui diem Dominicũ inſtitutum, vt dicebamus, ad diuinas laudes audiendas viciſſim, ac decantandas; ad prima Dei creantis beneficia recolenda, ſub ipſam mediam noctem in fraudem eius, quæ ab Eccleſia præcipitur, abſtinentiæ carnium in ſabbatho, epulis, commeſſationibus, & iocis excipiunt. Hæccinè obſeruatio feſtorum, & ſolemnitates religionis noſtræ? Infelici mentis cæcitati, ac gulæ vitio duxit hoc adſcribendum idem Summus Pontifex, ac Doctor Greg. Nam Chriſtifideles eas ſacras obſeruationes, quas omnis alia natio, quæ ſub cœlo eſt, ſuperſtitiosè colit, & ritè ſeruat, vinis, epuliſque ſuſcipiunt. Eiuſdem Sanctiſſimi Pontificis veſtigijs inhærentes, nullam in hoc delinquentibus pœnam addicimus, ne fortè peiores exiſtant. Meminerint tantùm, feſtis, quæ in hac mortali vita ſeruamus, ad illa præludi, quæ celebrantur in Cœlis: quapropter qui hæc contempſerit, illa non ſperet.

Cap. Deniq. diſt. 4 Cap. quinq. diſt 5. de Conſecr.

Qui teneantur ad ieiunium.

13 Ad ieiunium tenentur omnes ſtatim ab expleto anno vigeſimo primo.

In Quadrageſima carnes non vendantur.

14 Tempore Quadrageſimæ carnes publicè non vendantur; lanienæ non aperiantur. Nulli nec priuatim vẽdantur cibi vetiti ſub quocumq; malæ valetudinis praetextu, niſi licentiam deputatorum oſtendat.

15 Quicumq; à Dominica quinta Quadrageſimae, quę eſt Paſſionis, ad octauam Paſchae Meretricum, aut aliarum ſuſpectarum mulierum domos intrauerit; ſeu quomodolibet deprehenſus fuerit, turpiter cum illis agere, pœnis corporalibus arbitrio noſtro plectetur.

16 Ne

16 Ne vero prætendatur ignorantia dierum feſtorum, & vigiliarum eorum Cathalogum hic apponi curauimus.

Dies Feſti, ac Vigiliæ de præcepto in Maceratenſi Diœceſi.

IANVARIO MENSE.

Die 1. Feſtum Circumciſionis Domini.
Die 6. Epiphaniæ Domini *cum Octaua*.

FEBRVARIO MENSE.

Die 2. Purificationis Beatiſſimæ Virginis.
Die 23. *Vigilia*.
Die 24. Sancti Matthiæ Apoſtoli.

MARTIO MENSE.

Die 19. Sancti Ioſephi Conf. Sponſi B. Virginis.
Die 25. Annunciationis Beatiſſimæ Virginis.

APRILI MENSE.

MAIO MENSE.

Die 1. Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi.
Die 3. Inuentionis Sanctæ Crucis.

IVNIO MENSE.

Die 23. *Vigilia*.
Die 24. Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ *cum Octaua*.
Die 28. *Vigilia*.
Die 29. Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli *cum Octaua*.

Digitized by Google

IVLIO MENSE.

Die 24. *Vigilia.*
Die 25. Sancti Iacobi Apoſtoli.
Die 26. Sanctæ Annæ Matris B. Virginis.

AVGVSTO MENSE.

Die 9. *Vigilia.*
Die 10. Sancti Laurentij Martyris *cum Octaua.*
Die 14. *Vigilia.*
Die 15. Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis *cum Octaua.*
Die 24. *Vigilia.*
Die 25. Sancti Bartholomæi Apoſtoli.
Die 30. *Vigilia.*
Die 31. Sancti IVLIANI Confeſſoris Patroni huius Ciuitatis *cum Octaua.*

SEPTEMBRI MENSE.

Die 8. Natiuitas Beatiſſimæ Virginis *cum Octaua.*
Die 20. *Vigilia.*
Die 21. Sancti Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
Die 29. Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli.

OCTOBRI MENSE.

Die 27. *Vigilia.*
Die 28. Sanctorum Apoſtolorum Simonis, & Iudæ.
Die 31. *Vigilia.*

NOVEMBRI MENSE.

Die 1. Omnium Sanctorum *cum Octaua.*
Die 29. *Vigilia.*
Die 30. Sancti Andreæ Apoſtoli.

DE-

Digitized by Google

DECEMBRI MENSE.

Die 9. *Vigilia.*

Die 10. Translationis Sanctiſs. Domus Beatę Virginis Patronae Prouinciae Marchiae *cum Octaua.*

Die 20. *Vigilia.*

Die 21. Sancti Thomæ Apoſtoli.

Die 24. *Vigilia.*

Die 25. Natiuitatis Domini *cum Octaua.*

Die 26. Sancti Stephani Protomart. *cum Octaua.*

Die 27. Sancti Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ *cum Octaua.*

Die 28. Sanctorum Innocentium Mart. *cum Octaua.*

Die 31. Sancti Silueſtri Papæ, & Conf.

Feſta Mobilia, & Vigiliæ.

Paſcha Reſurrectionis cum duobus diebus ſequentibus, *& cum Octaua.*

Feſtum Aſcenſionis Domini *cum Octaua.*

Vigilia Penteco ſtes.

Pentecoſtes cum duobus diebus ſequen. *& cum Octaua.*

Corporis Chriſti *cum Octaua.*

Dominici dies per annum.

Quatuor Tempora per Annum.

CAPVT QVINTVM

De Diuinis Officijs.

1 NVLLVM ſanè à mortalibus obſequium æquè gratum, ac iucundum Deo præſtatur in terris,

ris, quàm crebra diuinarum laudum decantatio: Tali enim, & iugi quidem Sacrificio à ſanctis, ac beatis Spiritibus Deo litatur in Cœlis. Quapropter ſumma & corporis modeſtia, & animi deuotione neceſſe eſt diuina perſoluantur Officia: in quorum perſolutione, vt Deo ſit magis accepta, vna eademque ratio, ac forma ſeruetur, quam omnibus Eccleſiaſticis Sancta præſcribit Eccleſia. Abolendi igitur ſunt omnes alij ritus, ac formulæ aut antiquatæ, aut ſuperinductæ.

Officia deuotè recitanda.

2 Qui Choro adeſſe tenentur, in primis non niſi ex vrgenti cauſa deſint: Deinde ibi cum ſilentio ſint, ac modeſtia; clara, & diſtincta voce cum debitis pauſis, atque interiectionibus pſallant. Nam ſi curſim, confusè, & indeuotè canatur, fideles non modò non allicientur ad diuinas laudes audiendas, ſed prope per ſcandalum expellentur.

Tabacco abſtinendum.

3 Inter celebranda diuina officia nullus per indecentiam vtatur puluere externutatorio, quem Tabaccum dicunt, ſicut neq; Sacerdotes, ante quàm Sacrum faciant.

Tempus, & ordo diuini officij.

4 Debitis horis primùm detur ſignum pulſu Campanarum; deinde diuina inchoentur officia eo munerum, ac viciſſitudinum per hebdomadas, vel menſes ordine, qui præſcriptus erit in tabella ſeruanda in Sacriſtia, quam omnes legant, ſeruentque diligenter.

Præſcriptus ritus ſeruandus.

5 Ritus in omnibus feſtis ille ſeruetur, quem Breuiarium Romanum nouum editum, & recognitum iuſſu fel. record. Vrbani VIII. præſcribit.

Feſta S. Iuliani & Translat. SS. Domus.

6 Duo feſta cum Octaua adiecta ſunt in noſtro Chalendario (quod omnes ad diuini officij recitationem obligati præ manibus habere debent) ſcilicet feſtum S. IVLIANI Protectoris Noſtræ Ciuitatis ſub die 31. Aug. & feſtum Translationis Sanctiſſimæ Domus B. Virginis,

Prouin-

Prouinciæ Marchiæ Protectricis, ſub die 10. Decembris.

7 Officia Sanctiſſimi Roſarij, & S. Rocchi non niſi in proprijs Eccleſijs fiant. Officia SS. Roſarij, & S. Rocchi.

8 Officium de Sancto, cuius habetur inſignis reliquia, quæ cum ſua authentica, & approbatione eſſe debet, fiat ſub ritu duplici per annum minori; Porro nomen illius Sancti Martyrologio adſcriptum eſſe neceſſe eſt. De Sancto cuius habetur reliquia.

9 Ea officia, quibus mulieres intereſſe poſſunt (excepta nocte Natalis Domini) neque poſt occaſum Solis, neque ante ortum habeantur. Tempus officiorum.

CAPVT SEXTVM

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento, eiuſq; cuſtodia.

1 INTER res omnes, quas vt ſacras Sancta veneratur Eccleſia, nulla ſanctior, nulla diuinior eſt, & quod inde conſequitur, nulla maiori digna eſt veneratione fidelium, quàm ſacroſanctum, ac venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, in quo non ſigna, non ſymbola diuinæ gratiæ, ac bonitatis, ſed bonorum omnium fons vberrimus ipſe Chriſtus Dominus adeſt, qualis in Cœlo ſedet ad dexteram Patris. Sãctiſs. Euchariſtiæ pretium.

2 In ſacra igitur Euchariſtia cuſtodienda, & adminiſtranda ſeruentur in primis omni diligentia, quæ Parochis à Rituali Romano præſcribuntur; curando, vt ceremoniæ omnes ritè peragantur; & vt vaſa, & reliqua ad hoc Sacramentum ſpectantia ſint munda, decenter ornata; ita vt ſpectantium animos ad pietatem excitent, & reuerentiam. Diligenter ſeruanda.

3 Vbi

Digitized by Google

Locus in quo ſeruatur.

3 Vbi aſſeruatur ſanctiſſima Euchariſtia, ſit locus firmatus ſera, & claui, quæ à Parocho cuſtodiatur: Pyxides intus ſint auro illitæ, ac mundæ: & ſumma adhibeatur cura, ne Particulae vetuſtate marceſcant.

Renouãdæ particulæ.

Annua participatio Corporis Chriſti D.

4 Omnes ſaltem ſemel in anno communicent in Paſchate in ſuis Parochijs, & non alibi ſine noſtra expreſſa licentia, vel Vicarij noſtri; Parochi diligentes ſint in annotando nomina eorum, qui non communicarunt, eaque ad nos deferant, ante quàm dies feſtus Aſcenſionis Domini prętereat, ſub pœna ſcutorum decem. Qui verò non communicarunt, nominatim excommunicandi ſunt, & denunciandi. Porro tempus huius obligationis, ſcilicet quòd fideles communicent in Paſchate, quindecim dierum circulo concluditur; nempe à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſiuè.

Frequens vſus cõmendatur.

5 Quamuis haec obligatio non ſit niſi pro ſemel in anno, hortamur tamen omnes maiori, quo poſſumus, animi ſenſu, vt frequentes ſint in participatione huius cibi cœleſtis, à quo mirum eſt quanta in dies bona fidelium mentibus infundantur. Meminerint hoc eſſe animæ nutrimentum, quo carere ſine mortis periculo nemo poteſt: Niſi enim manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hinc profectò tot frequentes, ac lamentabiles in quaelibet vitia lapſus ſpectantur in multis.

Quot lumina accendenda.

6 Cum adminiſtratur ſanctiſſima Euchariſtia, tria ad minus lumina accendantur: Cum verò publicè à fidelibus adoranda proponitur, quod à nullo neque Regulari, aut exempto ſine noſtra facultate fieri poterit, duodecim ad minus ardeant luminaria iuxta Conſtitutionem felic. record. Vrbani VIII. Tunc verò temporis in ea Eccleſia non vacetur confabulationibus; ſed omnes reuerentes, & genu-

Deuotio ſeruãda ante SS. Euchariſt.

Digitized by Google

ac genuflexi cum modeſtia, ſilentio, ac deuotione orent. Neque in vijs prope eandem Eccleſiam fiat ſtrepitus ludentium, iocantium, & ſimilium ſub pœnis noſtro arbitrio.

7 Infra Octauam Corporis Chriſti in noſtra Cathedrali Eccleſia dum diuina in Choro recitantur Officia ſuper Altare Maius exponatur adoranda populo Sanctiſſima Euchariſtia in Oſtenſorio, quo tempore Canonici, & reliqui omnes Clerici ſtent, vt decet, detecto capite; Et ſi tunc temporis, vel quandocumque ſacra Euchariſtia eſt publicè expoſita, fiat ibi concio, Concionator non operiat caput. Dum autem ſanctiſſima hoſtia extrahitur, vel reconditur in Tabernaculum, ſolitæ à Clero cantentur preces. — Infra Octau. Corp. Chriſti exponenda.

8 Cum Sanctiſs. Chriſti Corpus defertur ad infirmos, fiat id maiori, quo poteſt honore, ac frequentia populi. Plures particulæ deferantur, quò Sacerdos ſine Euchariſtia in Eccleſiam non redeat; ad quam vt peruenerit benedicat populum, ac dimittat. Si verò id accidat extra Vrbem, videat Sacerdos ne vnus tantum per ſummam indecentiam puerulus Sanctiſſimam Euchariſtiam comitetur. — Quomodo deferenda ad infirmos.

9 Cum dicitur Euchariſtiam non poſſe miniſtrari infirmo non ieiuno per modum Viatici, niſi ſemel in eadem infirmitate, id intelligi volumus iuxta grauium autorum ſententiam, intrà ſpatium octo circiter dierum. Eo enim elapſo non eſt, cur non poſſit iterum infirmus non ieiunus per modum Viatici communicare. — Infirmi quomodo communicandi.

10 Cum fit Oratio quadraginta horarum nec poſt occaſum, nec ante ortum Solis mulieres admittantur. — Oratio 40. horarum.

11 Feria V. Sacræ hebdomadæ Corpus Chriſti Domini ſeruetur non in ſacriſtia, ſed in aliquo ſacello, aut — Feria V. quomodo cuſtodienda.

altari

altari pro commoditate Eccleſiæ. Arcula ſit in modum monumenti clavi obfirmata. Hortamur autem omnes Eccleſiarum Rectores, vt conentur pro viribus magno & luminum, & reliquorum apparatu ornamentorum id facere; ſcientes gratius Chriſto Domino obſequium à ſe præſtari non poſſe, quàm in ſepulturam eius.

Deuotè, ac modeſtè accipienda.

12 Sacerdotes ſi extra Miſſam Sacram Euchariſtiam ſumant, etiam ſi lecto decumbat, id faciant ſtola ab humeris ad pectus pendente. Aliæ verò laicæ perſonæ, præſertim mulieres omnem ſuperfluum fucum, & ornatum, dum ad diuinam menſam accedunt, deponant, velent caput, ſoli Deo, cui patent corda, placituræ.

Pœnæ in perſonatos immorãtes ante Eccleſias.

13 Per dies antecinerales in vijs, & plateis, quæ ſunt contiguæ ijs Eccleſijs, in quibus per id tempus exponitur Sanctiſſima Euchariſtia, nullus perſonatus immoretur, ſub pœna carceris, & veſtium, quas gerit, amiſſionis.

CAPVT SEPTIMVM

De Miſſæ Sacrificio.

1 QVOD ſpectat ad Miſſæ ſacrificium, in quo vno omnis veterum hoſtiarum Sanctitas, & multiplicitas, ſed multò perfectiùs eſt à Deo collecta, exactè ſeruentur à Sacerdotibus, quæ in Rubricis Miſſalis Romani præſcribuntur, nihil demendo, addendo nihil: Eas propterea ſæpius relegant, memoriæ mandent, ac ſeruent. Quòd ſi deprehenſus fuerit Sacerdos aliquis multum in illas peccare, noſtri officij erit, nec non Vicarij noſtri Generalis hunc à ſacrificio Miſſæ

Rubricæ ſeruandæ.

ſuſpen-

Digitized by Google

ſuſpendere, donec conſtet, eos ſeruare didiciſſe.

2 Propterea Sacerdotes de nouo ordinati, non celebrent niſi prius per deputandos à nobis, vel à noſtro Vicario in ritibus celebrandi examinati, & approbati fuerint, ſecus facientes ſuſpendantur à Miſſa. Deputatos ad id volumus Adm. R. D. Can. Malateſtam Gabutium, Adm. R. D. Can. Franciſcum Frontonum Pœnitentiariũ, Adm. R. D. Can. Io: Franciſcum Mozzium. Noui Sacerdotes.

3 Nemo in Vrbe niſi peregrinus, aut in actu itineris ad celebrandum non veſte talari indutus accedat. Ruri verò non niſi ad breue tempus ibi commoraturus: Nullus Sacriſta, aut alius miniſter ſacras veſtes ſic accedenti accommodet. Et ſi id non ſeruetur, volumus celebrantem per hebdomadam, Sacriſtam, & alium miniſtrum abſolutè eſſe ſuſpenſum ab officio. Hæc Conſtitutio in ſingulis Sacriſtijs ſpectabili loco figatur. Cum veſte talari celebrandum.

4 Sacerdotes peregrini ab Eccleſiarum rectoribus, ſiue cuſtodibus non admittantur ad celebrandum, niſi litteras dimiſſorias per nos approbatas oſtenderint. Sacerdotes peregrini.

5 Nemo dum celebrat, ſine Summi Pontificis licentia vtatur pileolo, ſeu ſubiretto: Et qui talem facultatem ex vrgenti cauſa habuerit, nouerit eam non extendi à tempore Conſecrationis vſque ad Conſumationem incluſiuè. Vſus pileoli.

6 In altari, in quo nos celebrauimus, nullus Sacerdos ſine noſtra facultate ea die audeat celebrare. Altare in quo celebrauit Epiſcopus.

7 Ante auroram, & poſt meridiem, nemo ſine ſpeciali indulto celebret; excepta nocte ſanctiſſima Natalis Domini. Hora celebrandi.

8 Feria V. & Sabbatho ſanctioris hebdomadæ vna tãtum Miſſa dicatur in Eccleſijs. Vbi verò non aſſeruatur Sanctiſsimum Sacramentum per eos dies non celebre- In Sancta hebdomada.

tur ſine noſtra facultate.

Miſſa non tardanda nec repetenda.

9 Sacerdos cum peruenerit ad altare celebraturus, neminem expectet, quo minus ſtatim initium faciat Sacro: & nullius intuitu partem aliquam iam peractam iteret, exceptis caſibus in iure expreſſis.

Sacerdos addictus altari aut Cappellæ.

10 Sacerdotes, qui ſtatuto die in aliqua Eccleſia, ſeu cappella, aut altari celebrare tenentur; id vel per ſe, vel per alium præſtent. Et ſi alibi celebrent, ſingulis vicibus ſoluant duos iulios in bonum Eccleſiæ, cui ſunt addicti, & intermiſſum ſacrificium peragant. Parochi, ſeu cuſtodes, ſeu ſacriſtæ ſingulis menſibus ad noſtrum Cancellarium deferant nomen eorum, qui in hoc defecerint, alioquin ipſi quoque tenentur ea Miſſarum onera, quibus non eſt ſatisfactum, adimplere. Et hæc Conſtitutio figatur in Sacriſtijs earum Eccleſiarum, vbi ea onera ſunt impoſita.

Quotidiana ſacri auditio cōmendatur.

11 Licet ſolis diebus feſtis tenentur fideles Miſſam audire, hortamur tamen omnes per Paſſionem Domini, qui tãtum effuſi ſanguinis beneficium hoc ſacrificio voluit adeo expreſsè referri, vt quotidie, ſi fieri poſſit, debita cum modeſtia, ac pietate adſtent Miſſæ, cui ſumma cum reuerentia Angelorum chori interſunt circunfuſi.

Sacerdotes ſæpius celebrent.

12 Monemus Sacerdotes omnes, vt ſaltem omnibus diebus Dominicis, & feſtis celebrent, ne eorum negligentia & Deus laude, & Eccléſia sũma priuetur vtilitate.

Eleemoſina prò miſſa.

13 Pro vna Miſſa congrua eleemoſina Sacerdoti ſoluenda, vnius eſt iulij.

Eleemoſina in futurum accipienda.

14 Caueant Sacerdotes Miſſas dicere pro eleemoſina in futurum offerenda: Neque pro vna Miſſa duplex ſtipendium accipiant.

Tabella onerũ miſſarum.

15 In vnaquaque Eccleſia Tabella ſit, in qua notentur onera Miſſarum ibidem ſoluenda; & tertio quoque menſe de-

Digitized by Google

ſe deputandi à nobis rationem exolutorum onerum exigant.

16 Semel ſingulis annis cantetur Miſſa ſolemnis pro defunctis omnibus Epiſcopis anteceſſoribus noſtris prima die non impedita poſt Commem. omnium fidelium defunctorum. Miſſa pro defũctis Epiſcopis.

17 Cum vrgente aliqua neceſſitate mandamus Collectam aliquam addi in Miſſa; nunquam omittatur, niſi in feſtis primæ claſſis; & addatur ſupra numerum aliarum Orationum. Collecta addita.

CAPVT OCTAVVM

De modo conuerſandi in Eccleſijs.

1 DOMVS Dei Aſylum Sanctitatis eſt, quò fideles ad beneficia poſcenda concurrunt; ſiue cum calamitates ingruunt, vt auertantur; ſiue cum conſcientia delictorum extimulat, vt diluatur: Ea igitur modeſtia, pietate, atque animi compunctione inibi verſari par eſt, vt offenſa Dei maieſtas placari poſſit, non irritari. Mirùm ſanè, ac formidandum eſt, Seruatorem noſtrum, qui mitiſſimi Agni manſuetudiaem in maximis iniurijs, extremiſque contumelijs præ ſe tulit ſemper, in vnius violatione Templi, vindicis leonis iram induiſſe.

2 Non ſine intimo dolore cordis & ſæpius audiuimus & non ſemel aſpeximus, reuerentiam, quam vel Ethnici ſuis exhibent fanis, denegari à Chriſtifidelibus aduerſus ſacras ædes, quas decet ſanctitudo in longitudinem dierum. Nec facilè crediderimus diuinam vindi- Irreuerẽtia ſeuerè punitur.

Digitized by Google

ctam, ſub qua extremis hiſce temporibus, varijs afflicti calamitatibus ingemuimus, alio grauiori piaculo in nos irritatam, quàm Sanctiſſimi eius Templi deſpectu. Nam ſi ibi peccatur, vbi peccata diluuntur; quò confugiemus ad veniam promerendam?

Reuerẽtia adhibenda.

3 Fideles itaque in Eccleſijs non vacent confabulationibus, iocis, multòque minus negocijs pertractandis; ſed deuotioni tantùm, & pietati. Modeſti, reuerentes, & cum ſilentio diuinis interſint officijs; præcipuè ſacroſancto Miſſæ ſacrificio; cui dum ipſi Cœli ciues proni adſtant, indecens eſt, vt homines ſedendo, aut confabulando per ſummam ſummi myſterij iniuriam irreuerenter aſſiſtant.

Tabacchi interdictio.

4 Maximè verò indecorum eſt, quod à pluribus fieri coſpicitur, nempe vt inter diuina officia audienda puluere vtantur externutatorio non ſine perturbatione Sacerdotum, & diuini cultus deſpectu. Siquidem coram ſacris myſterijs, ipſoque Chriſti Domini corpore præſtare, quod vir ingenuus coram viro principe non auderet, irreuerentis eſt animi.

Pueri non deferendi in Eccl.

Nec ibi pauperes mendicent.

5 Tempore officiorum mulieres ſecum non deferant pueros triennio minores: multùm enim eorum ſtrepitu & adſtantium, & Sacerdotum animi à diuino cultu diſtrahuntur. Pauperes etiam non mendicent, ſed ad ianuam compellantur, iuxta Bullam felic. record. Pij V. ſub pœnis ibi ſtatutis. Pauperes verò, qui prætextu conuerſionis ad fidem noſtram Catholicam ſolent quęſtuare, in primis id non faciant ſine noſtra, aut Vicarij noſtri facultate; Præterea à Parochis, & animarum rectoribus diligenter obſeruentur, ne prauo alio fine ad id faciendum ducantur. Canes omnino ab Eccleſijs arceantur.

Canes arcendi.

Ab Eccl. procul merces venales

6 Mandamus ne in feſtiuitatibus Eccleſiarum in atrijs,

aut

Digitized by Google

aut gradibus earum ſeu cibaria, ſeu quæuis aliæ venales merces exponantur: Ne Eccleſiæ parietibus aut tabernæ, aut apothecę hæreant: ne mimis, aut hiſtrionibus audiendis contignationes erigantur; ne alendis, aut ſeruandis brutis animantibus ſtabula ſtatuantur.

7 Prope Eccleſias, & Monaſteria Monialium ludi pręſertim clamoſi, & tempore officiorum ne exerceantur; ijs quippe diuinus cultus, & pietas fidelium non modicè perturbantur, ſub pœna arbitrio noſtro. Ludi clamoſi.

8 Multo verò minus Meretrices, & ſuſpectæ mulieres prope ea domum habeant; nec quis eam illis locet ſub pœna ſcutorum decem, tam à mulieribus, quàm à locatoribus ſoluenda; & contractus locationis ſit nullus, & irritus. Suſpectæ mulieres.

CAPVT NONVM

De Proceſsionibus.

1 ANtiquiſſimum ſupplicationum vſum, quibus maximè Dei maieſtas conciliatur hominibus, arctè complexa eſt Eccleſia; & in poſterum retinendus eſt, quantum fieri poteſt, omni cura, ac ſtudio.

2 Ad Proceſſiones omnes tam ordinarias, quàm extraordinarias conueniat vterque Clerus tam ſæcularis, quàm regularis; & iuxta Ciuitatis noſtræ morem Confraternitates cum vexillis, & faccis. Omnes adſint.

3 Omnes clerici vtantur veſte talari, ſuperpelliceo, & bireto; procedant bini, & bini cum modeſtia, & ſilentio. Modus procedendi.

4 Proceſſionis initium ſemper ab aliqua Eccleſia ducendum eſt: & ſi ea fuerit ſolemnis, à principali. Initium proceſſionis.

5 Viæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE II

Viæ parandæ.

5 Viæ, per quas tranſit Proceſſio, lineis, aut alijs pannis è ſuperiori parte obtendantur; mundentur item ante ſingulorum domos, neque apponantur in ijs picturæ non ſacræ. Apothecæ non aperiantur.

Receſſus ab Eccleſia.

6 Cum inchoatur Proceſſio, omnes facto circulo tranſeant ante altare maius. Cum verò ad locum deſtinatum fuerit peruentum, nemo aliò diuertat: ſed omnes, peractis precibus, Cathedralis, vel Collegiatæ Crucem aſſocientur ad propriam Eccleſiam; & inde ne diſcedant, ſine habita benedictione, ſub pœna arbitrio noſtro.

In die S. Viti.

7 In die S. Viti habeatur proceſſio more hucuſque ſeruato.

Proceſſio in feſto Corporis Chriſti.

8 In feſto Corporis Chriſti Venerabili Confraternitati, cuius pietati, vt merito talis ſolemnitas eſt commendata, ita pari cum laude, atque impenſa ab illa celebratur, deputandos permittimus iuxta Ceremonialis formam viros nobiles, atque conſpicuos ad deferendum Baldachinum: eorumque nomina pridie, quàm fiat proceſſio, ad nos deferantur approbanda.

Flores, & tormenta.

9 Quemadmodum reprehendendus non eſt vſus ſpargendi flores, & ignea explodendi tormenta, ita præcipimus, vt illi non niſi ad Cruces, Imagines Sanctorum, & Sanctiſſimum Sacramentum ſpargantur, iſta verò procul explodantur ab ijs, qui SS. Euchariſt. circumſtant.

Proceſſiones non generales.

10 Si quando contingat Proceſſiones non generales haberi, liberum erit Canonicis, & clericis accedere: Verùm ſi maior Capituli, aut Collegij pars iudicauerit accedendum, omnes interſint; & abſentes eam pœnam ſubibunt, ac ſi publicis proceſſionibus defuiſſent.

11 Qui ſacris veſtibus, aut ſacco indutus non eſt, in Proceſſione, qua defertur Sanctiſſimum Chriſti Corpus, procul ab illo ob reuerentiam incedat.

12 Nouæ

Digitized by Google

12 Nouæ proceſſiones ſine noſtra licentia à nullo, & nullibi inſtituantur ſub pœna ſcutorum decem. — Nouæ proceſſiones.

Præfectum Proceſſionum nominamus Adm. R. D. Can: Io: Dominicum Sambucum. — Præfectus.

CAPVT DECIMVM

De Eccleſiaſtica immunitate.

1 MIRVM eſt quot priuilegijs per ſacros Canones Immunitas Eccleſiaſtica ſit munita; quotque per eoſdem pœnis, ac cenſurarum vinculis fuerint eius violatores obſtricti. Hæreditatem quippe Domini, vtpotè ſanctam, ab omni ſæculari iure decet exemptam eſſe, atque immunem. Ea Eccleſiaſticas omnes perſonas, hæ verò & rem domeſticam, qua aluntur, & ſacras ædes, in quibus diuino vacant famulatui, complectuntur.

2 Laycales poteſtates non audeant in Clericos etiam coniugatos, aut alios quoſcumque Eccleſiaſtico noſtro foro ſubiectos, ius vllum exercere, ſeu manus in illos inijciendo, ſeu ad ſua tribunalia vocando, aut quouis alio modo illos vexando, ſub grauiſſimis per Canones ſtatutis pœnis, atque cenſuris. — Clerici à laycis non exturbandi.

3 Nullus ſæcularium Magiſtratuum, Vniuerſitatum, Conciliorum, aut ſimilium, Eccleſiaſticorum bona vel directè, vel indirectè Datijs, Gabellis, Pedagijs, aut vllis quomodolibet oneribus grauare præſumat. Secùs facientes excommunicationem incurrent in Bulla Cœnæ contentam: quam etiam ſubibunt, qui ſimilibus exactionibus faciendis deputati, eas ab Eccleſiaſticis ratione bonorum, quæ poſſident, audebunt exigere: niſi per — Impoſitiones, & gabellæ.

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolicum diploma id ſibi expreſsè licere monſtrauerint.

Confugientes ad Eccleſiam

4 Nullus confugientem ad Eccleſiam aut comprehendere, aut perſequi, aut quouis alio modo deturbare prę-ſumat. Cum verò acciderit criminoſum aliquem ad Eccleſiam confugere, ab Eccleſiæ illius rectoribus, & moderatoribus poſt triduum dimittatur iuxta felic. record. Vrbani VIII. editam hac de re conſtitutionem.

Flagitioſi non gaudentes.

5 Si verò talis fuerit ad Eccleſiam confugientis exceſſus, vt illius priuilegio ſit indignus, non prius inde extrahendus, quàm nos conſulti fuerimus, & approbauerimus, in quo formam præſcriptam à fel. record. Greg. XIV. ſeruare decernimus.

Conſt. Cum alias 1. Iun. 1591.

Domos Eccleſiaſticorum,

6 Sæcularis Magiſtratus inuitis Eccleſiaſticis domos eorum nec pretio conducant pro hoſpitijs militum, aut aliorum, quamuis eæ iam à dominis eſſent alijs perſonis laycis locatæ.

CAPVT VNDECIMVM

De Sanctorum Reliquijs, & Imaginibus.

1 QVANTVM deuotioni, ac pietati fidelium confert cultus ritè præſtitutus ſacris Sanctorum Reliquijs, ac imaginibus, tantum illi defert, ſi non debita reuerentia colantur: Hoc autem vt euitetur, mandamus, Reliquias omnes, quæ ſunt in Eccleſijs noſtræ Diœceſis, maiori, quo poteſt, ornatu, atque honore ſeruari; quò excitetur, non extinguatur deuotio fidelium. Nunquam publicè adorandæ exponantur ſine

Decorè cuſtodiendæ.

quatuor,

Digitized by Google

quatuor, aut duobus ſaltem luminibus: Sine noſtra licentia non deferantur ad infirmos: Interpoſito vitro, vel criſtallo videndæ, vel deoſculandæ populo protendantur: Si thecæ, quibus aſſeruantur, aliqua ex parte iniuria temporis ſint labefactatæ, reſarciantur, aut de nouo fiant: Si nomina Sanctorum, quorum ſunt, deleta fuerint, iterum apponantur; ſi abolita, ponatur, Reliquiæ Sanctorum, quorum nomina ſunt in libro vitæ. Cuſtodiantur in loco decenti extra Tabernaculum, ſub claui, & vbi humiditas, & periculum corruptelæ non ſit: Nemo audeat, vel minimam earum particulam ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ decerpere, aut quomodolibet alienare: Nouas autem reliquias nemo ſub prætextu cuiuſcunque authenticæ publicè exponat, ſine noſtra approbatione.

Nomina addenda.

Nouæ reliquiæ non exponantur.

2 Simili honore, ac reuerentia cuſtodiendæ ſunt eorumdem Sanctorum Imagines, ad infringendam hæreticorum impietatem, qui earum cultum omni, qua poſſunt, arte abolere nituntur: Vnde non depingantur immodeſtæ, indecoræ ſeu habitu, ſeu geſtu; non referant effigiem perſonæ alicuius notæ: Non apponantur in pauimentis, aut locis contemptui obnoxijs; non circumferantur deoſculandæ populo lucri gratia: qui ſecus fecerit, noſtro arbitrio punietur. Si corroſæ ſint, aut deprauatæ, reficiantur, ſi fieri poteſt; alioquin ſi ligneę ſunt, comburantur, & cineres in ſacrarium deportentur; ſi lapideę, ſub Eccleſiæ pauimento ponantur; ſi in parietibus depictæ, dealbentur, aut alio modo aboleantur.

Imagines Sanctorum cũ honore ſeruandæ.

Reficiendæ.

3 Cum templa in feſtiuitatibus ornantur, prophanae imagines, quę deuotionem auertunt, non apponantur.

Profanæ imagines in Templis.

13. Mart. 1625. 4 Meminerint omnes Conſtitutionis editę à felic. rec. Vrbano VIII. qua pręcipitur omnibus tam ſaecularibus,

Imagines virorum nõ Sancto. rum.

D quàm

quàm Regularibus cuiuſcunque ſint ordinis, & inſtituti, ne imagines eorum, qui licet cum ſanctitatis fama deceſſerint, à Sancta tamen Sede neque Canonizationis, neque Beatificationis honore ſunt inſigniti, in Oratorijs, atque Eccleſijs, alijſque locis publicis, nec non priuatis cum laureolis, aut radijs, ſeu ſplendoribus proponantur, ſub pœnis in eadem Conſtitutione contentis.

Imagines inhoneſtæ damnantur.

5 Sicut vſus piarum imaginum multum confert ad animos ijs moribus imbuendos, quos habuere, qui ijſdem exprimuntur, & plurimum eſt commendandus; Ità profectò maximè reprehendendi ſunt ij fideles, qui aedibus adornandis non profanis tantùm, ſed inhoneſtis etiam vtuntur imaginibus, quæ intuentium animos ad ſimiles actus mirum in modum irrìtant, & excitant: Parum ne fragilis hominum natura de ſe in malum eſt prona, niſi alienis etiam facibus excitetur?

TITV-

TITVLVS SECVNDVS

De Perſonis Eccleſiaſticis.

CAPVT PRIMVM

De Sacramento Ordinis.

1 QVICVMQVE ad Sacramentum Ordinis ſuſcipiendum accedunt, ſciant ſe per illud adſcribi ſpeciali Chriſti Domini Militiae, & in illius ſortem, hoc eſt peculiarem eligi haereditatem. Quapropter non publicis negocijs, & reddendis rationibus obligati, non irregulares, non cenſura aliqua irretiti, non infames, non bigami, non eunuchi, non mutilati, non aliqua corporis deformitate conſpicui, non amentes, non comitiali morbo detenti ij ſint, neceſſe eſt. Non alio autem animo accedere debent ordinandi, quàm vt Deo ſeruiant, curis omnibus ſaecularibus expediti: Nec ſine graui Sacramenti huius iniuria poſſet quis illud expetere ad eximendum ſe poteſtati ſaeculari.

Qui ſint ordinandi.

Animus in ordinandis.

2 Ad Sacramentum Ordinis excipiendum nemo accedat ſine bono vitae teſtimonio, & debita ſcientiae

Præcedat examen.

probatione; & non Confirmatus.

Litteræ dimiſſoriæ.

3 Qui ex aliena Diœceſi huc à nobis ordinandus aduenerit, ferat ſecum litteras dimiſſorias proprii Ordinarii, vt eas recognoſcere, & approbare poſſimus.

Quid ad quoſque ordines requiratur.

4 Minoribus ordinibus initiandi fidem vel Præceptoris, vel Parochi ſui de ſufficientia, ac moribus ad nos deferant. Nec quiſquam eos ſuſcipiat, niſi animo progrediendi ad maiores, & ſacros, ad quos illi diſponunt.

5 Prima tonſura non eadem die cum minoribus ordinibus, ſed antea ſuſcipiatur.

Tempus ordinum minorũ.

6 Ordines etiam minores eo ſuſcipiantur ordine, & tempore, quod à Sacro Concil. Tridentino præſcribitur, nec mutetur ſine vrgenti cauſa. *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de ref. cap. 11.*

7 Qui ad ſacros ordines promoueri deſiderat titulo patrimonii (quod ad minus aſcendere debet ad ſummam 36. aureorum annuorum deductis omnibus oneribus) illud firmum, ac certum eſſe demonſtret, non litibus, non controuerſiis obnoxium. In hoc tamen volumus in ſuo robore manere decretum fel. record. Card. Centini editum die 13. Nouemb. 1636.

Ætas in ordinandis.

8 Ætas in ordinandis pro ſingulis ordinibus ea communiter aſſignari ſolet. In prima Tonſura, Hoſtiariatu, Lectoratu, Exorciſtatu ſeptimus annus; In Acolitatu duodecimus, in Subdiaconatu vigeſimus primus, in Diaconatu vigeſimus ſecundus, in Presbyteratu vigeſimus quartus completus exigitur.

Scientia.

9 Scientia verò in dictis ordinibus ea eſſe debet. In Minoribus linguæ latinæ aliqualis intelligentia; in Subdiaconatu, & Diaconatu eorum peritia, quæ ad eos ordines exercendos exquiritur; In Presbyteratu, vt Sacramenta adminiſtrari, & populi doctrinam chriſtianam doceri queant.

10 Or-

10 Ordinatus ſine facultate ante præſcriptam ætatem, vel titulo falſo, & ementito Patrimonij, intelligitur ipſo facto ab ordine ſuſcepto ſuſpenſus. *Suſpenſio in non ritè ordinatum.*

11 Qui ad ſacros ordines, & præcipuè ad Presbyteratum admitti poſtulat, examinatorum cura ſit, ſecluſo omni humano affectu, vt idoneus renuncietur. Præterea deputandi à nobis ſuper mores, ac vitæ rationem, omni fide veritatem nobis aperiant: Ex mente ſiquidem Sacroſancti Concilij Tridentini pauciſſimi ij eſſe debent, & ob ſolam Eccleſiæ neceſſitatem. Facilitas namque concedendi ſacros ordines ſine delectu multa parit ſcandala, quibus ſatius conſultum eſſet, ſi magis laboraretur inopia, quàm multiplicitate Sacerdotum non memorum propoſiti, ac vitæ rationis, quam ſuſceperunt. *Sincerum examen.* *Nimia facilitas in ordinando damnatur.* *Conc Trid. ſeſſ. 23. de ref. cap. 16.*

CAPVT SECVNDVM

De Miniſtris Eccleſiæ.

1 MEritò Miniſtri Eccleſiæ in intima Dei familia numerantur: Siquidem eorum munus eſt, Supremo Principi in eius domo, quod eſt Templum, inſeruire. Ea igitur decet modeſtia, ac diligentia ſacra munia peragere, vt ex eorum aſpectu ſummum in Dei maieſtatem obſequium, ac reuerentiam concipiant fideles: Vt olim Reginæ Sabae accidiſſe perlegimus, ſpectanti ordinem miniſtrantium Regi Salomoni. *Miniſtrorum Dei dignitas.*

2 In Eccleſia Dei, ſicut in aula Principis, varia ſint oportet famulantium officia. Quapropter omnes ſuas optimè calleant, & accuratè peragant partes. Qui ſuperiori eminent gradu, beneuolentiam, & comitatem *Miniſtri ſe inuicem obſeruent.*

exhi-

Digitized by Google

exhibeant his, qui inferiori potiuntur: hi verò reuerentiam viciſſim, & obſequium illis præſtent.

Archidiaconi partes.

3 Archidiaconi, ſeu primas habentis in Capitulis, aut Collegiatis partes ſunt, curare, ne quid contra ceremonias Breuiarij, Miſſalis, Ceremonialis, aut Ritualis Romani peccetur. Ne quid prætereantur ex ijs, quæ de diuinis officijs ſunt decreta. Idem Archidiaconus, nobis impeditis Miſſarum, ſeu officiorum celebritates peragere, quæ ad Epiſcopos ſpectant, eas explebit.

Pœnitentiarij partes.

4 Pœnitentiarius accedentium confeſſiones aſſiduus, ac patiens excipiat.

Præbẽda Theologalis.

5 Canonicus Theologali fungens munere, moralem Theologiam, ſeu quæ ad Conſcientiæ caſus ſpectant alternis ſaltem hebdomadis edoceat.

Caſus conſcientiæ.

6 Tali conferentiæ adſint omnes Sacerdotes admiſſi, vel admittendi ad audiendas confeſſiones ſub pœna triũ ſcutorum, quæ Monaſterio Pœnitentium applicentur.

Ædituorum officium.

7 Æditui, ſeu Sacriſtæ ſacram ſupellectilem omni diligentia cuſtodiant: quæ ad Miſſarum, aut Officiorum celebrationem requiruntur, ſollicitè parent: Eccleſiam ſæpius purgent; Suis ornent temporibus: pro Miſſis, & Officijs accuratè,& diligenter dent ſigna Campanarum: Exteros Sacerdotes non talari indutos veſte, aut ſine dimiſſorijs, ſeu patentibus litteris ad celebrandum non admittant, iuxta formam ſupra poſitam cap. de Sacrificio Miſſæ. Rarò laycos præſertim tempore Officiorum,mulieres verò nunquam in Sacriſtiam inducant: ingreſſas verò morari non permittant.

Manſionariorum partes.

8 Manſionarij ſuo diligenter fungantur officio: Dum Antiphonas dicunt, & Reſponſoria, caput aperiant, & aſſurgant: Gregorianum cantum ritè nouerint, ac ſeruent.

9 Si

Digitized by Google

9 Si Choriſta abſit à Choro, alium iuxta ſui muneris leges ſubſtituat; alioquin in eius defectum deputabitur à Capitulo, qui eas partes expleat, cui in emolumentum cedet abſentis punctatura. Abſente Choriſta.

10 Diaconatus, & Subdiaconatus emolumentum in Cathedr. habentes, ſuum peragant munus ſub pœna punctaturæ vnius iulij toties, quoties defecerint. Diaconus, & Subdiaconus.

11 Nullus Clericus, aut Eccleſ. miniſter ſine Superpelliceo, aut Cotta tempore officiorum quocunq; prætextu diuagetur per Eccleſiam; neq; ſic, vbi organa pulſantur, accedat aliquis, quò nullus non muſicus eſt admittendus. Clerici ſine Cotta.

12 Clerici, quibus cura ceremoniarum incumbit, ſub grauibus pœnis noſtro arbitrio, videant, ne quid eorum culpa, & negligentia deſit, quo minus ritè, in tempore, & ſine interruptione ſacra peragantur officia: Prelegant quę ſunt ipſi dicturi; Parent, quibus alij vſuri ſunt, ſeu libros, ſeu veſtes, ſeu quęuis alia, prout muneris ſui leges expoſtulant. Ceremoniarum præſides.

CAPVT TERTIVM

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

1 PRÆCIPVVS Eccleſiæ conatus, & cura eſt in Clericorum moribus informandis: ad eorum ſiquidem exemplum reliqui fideles ſuam vel benè, vel malè viuendi rationem inſtituunt. Quare in genere hoc exiguitas materię à culpa non eximit. Nihil enim tam paruum, aut leue eſt, quod magnum non habeat momentum, ac pondus: Siquidem, vt oculo totius humani cor- Vita Clericorum quãti momenti.

Digitized by Google

ni corporis parti prẹſtantiſſimae, vel minima athomus nõ leue affert incommodum; Ita Clerico in partem Domini prẹ cœteris electo nil leue putandum, nil aſpernandum videri debet, quod vel ſuẹ honeſtati contrarium ſit, vel obuiam ſcandalo puſillorum.

Mores clericorum qui eſſe debeant.

2 Quapropter ſic decet omnino, Clericos, vt Sacroſancta Synodus Tridentina teſtatur, vitam, moreſque ſuos componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermonibus, alijſque omnibus rebus nil niſi graue, modeſtum, & religione plenum prẹſeferant; leuia etiam delicta, quẹ in ipſis maxima eſſent, effugiant. *Seſſ. 22. de refor. cap. 1*

3 Quæ in his Conſtitutionibus prẹcipimus, quẹque accuratè ſeruari mandamus, partim ſpectant ad mores cõponendos, partim ad habitus honeſtatem.

Fugiant Negotiationes.

4 Quoad mores, Clerici curis ſaecularibus, & negocijs, aut negociationibus praeſertim illicitis, & ab inſtituta vitae ratione alienis ne ſe immiſceant: quò Domini ſeruitio poſſint vacare liberius. Propterea abſtineant etiam à frequentandis Magnatum aulis, vbi & temporis, & bonae, vt ſanctos decet, famae ſit iactura non leuis, iuxta mentem Sacrorum Canonum, nec non Sacri Concilij Tridentini.

Aulas Magnatum. Scilicet Sæcularium.

Tabernas.

5 Tabernas, & Popinas, niſi fortè ad inuiſendos, vel inde deducendos aduenas, non ingrediantur.

Vanos amores

6 Amores profanos, ſeu amationes maximè fugiant: vnde cum liberioribus iuuenibus plateas, & vicos omnia colluſtrantes oculis non circumeant.

Scænicas repreſentationes, & cantus.

7 In Scœnis nec cantum exerceant, nec ſonum; multò verò minus Hiſtriones in ijs, aut ſimile id genus hominum agant. Choreas, & ſaltationes non ducant, nec illis quocunque praetextu adſtent. Comẹdorum, Mimorum, & Hiſtrionum inſanis ſcurrilitatibus non interſint.

Lau-

Digitized by Google

Laruati nullatenus incedant.

8 Noctu non diuagentur, niſi neceſſitate compulſi; multò verò minus cantilenis, aut ſonis indulgeant. Nocturnas diuagationes.

9 Alearum, & Taxillorum ludo abſtineant. Ludos vetitos.

10 Canes venaticos non alant, nec venationes clamoſas exerceant. Venationes clamoſas.

11 Cum mulieribus non cohabitent, exceptis aſcendentibus; & primo, ac ſecundo gradu conſanguinitatis, aut affinitatis. Mulierum contubernium.

12 Si Clericus deprehenſus fuerit turpe habere commercium cum aliqua muliere ſiue domi ſuæ, etiam prætextu famulatus; ſiue in aliena, præter ſuſpenſionem à celebratione has dabit pœnas. Si Beneficium, aut penſionem habuerit, prima vice tertia parte fructuum; ſecunda omnibus prouentibus, & fructibus; tertia omni beneficio, ac penſione priuabitur, & alijs obtinendis in poſterum inhabilis declarabitur. Si nulla habeat Beneficia, aut penſiones, prima vice ſex menſium carcere; ſecunda abſoluta ordinis ſui ſuſpenſione plectetur: demum ſi non reſipuerit, damnabitur ad triremes. Pœnæ in inhoneſtos.

13 Clericorum filij ne alantur domi, nec quicquam eis à parentibus teſtamento directè, vel indirectè legetur: nullum alioquin ius accepturis in hæreditatem tali teſtamento legatam. Nothis nil delegent.

14 Quoad habitum, pileo vtantur Clerici, quo grauiores viri vti ſolent, non vittis, aut alijs ad vanitatem inuentis ornamentis redimito. Extremæ induſij partes, quæ circa collum ſupra pectus ſunt, non fibula aurea, aut argentea, vel ex ſimili materia nectantur, nec cordulis, flocculiſuè ſpectabilibus. Manicarum extrema, quę manuum colla circundant, ſimplicia ſint, ac leuia; non acu picta, non filo inpinnulas ducto. Non torquem, non Habitus Clericorum.

E annu-

Digitized by Google

annulum geſtent Clerici. Tibialia vel nigra ſint, vel nigro proxima colori. Calceos non gerant albos, non oblongos, non lunatos in apice, non vittis coloratis obſtrictos.

Cæſaries.

15 Cæſariem non nutriant. Barbam non prolixam, non nimis comptam habeant. Pilos circa labia concidant, ne ebibendo Sanguinem Chriſti Domini Sacris perfundantur ſpeciebus.

Tonſura Clericalis.

16 Clericalem Tonſuram omnes geſtent, ſed diuerſam pro diuerſitate Ordinum; Minorem ſcilicet, qui in minoribus, maiorem, qui in maioribus ſunt ordinibus.

Longæ veſtes.

17 Longis ad talos demiſſis, & nigris tantùm vtantur veſtibus, eæque nec curioſitatem, nec incuriam redoleant. Sine veſte Clericali nunquam extra domum, vel ad breue tempus incedant.

Sine veſte non incedant.

Interiores etiam veſtes non auro ſint, vel argento redimitæ. Vana odoramenta, & non bene in ſtatu ſacro olentia vitentur.

Sclopos non gerant.

18 Sclopos aut longiores, aut breuiores, nec ad venationem ferant Clerici: non enſes, non ſicas, aut quæcunque arma ad pugnam comparata: Milites quippe Chriſti, vt Clerici ſunt, non niſi Dei decet armatura, qua poſſint ſtare aduerſus diaboli inſidias.

19 Nemo clericali veſte, non prima ſaltem tonſura initiatus, vtatur.

20 Secus facientes punientur, iuxta quod Sacrorum Canonum ſtatuta praeſcribunt; & praeterea alijs pœnis noſtro arbitrio pro qualitate tranſgreſſionis.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM

De Parochi Officio.

1 QVoniam pręcipua, atque immediata animarum cura ſpectat ad Parochos, multa ſparſim decreta ſunt in his Synodalibus Cõſtitutionibus ad eorum officium ſpectantia, quę eos benè noſſe neceſſe eſt, ac ſeruare diligenter.

2 Inprimis morum integritate bonam ſibi apud ſuos pariant æſtimationem, ſine qua nil vnquam in animarum ſalutem euincent. Eluceant pręcipue charitate in proximos. Vitæ integritas

3 Ne à Parochia, prope quam ſuum debent habere domicilium, ſupra biduum nõ abſint; & ſi neceſſitas id exegerit, facultatem habeãt à Vicario noſtro Generali, ſubſtituantque Sacerdotem pium, & idoneum à nobis approbandum. Abſentia à Parochia.

4 Diligentes ſint, vt omnes Parochiani communicent in Paſchate in propria Parochia: Propterea eorum nomina, data, & repetita ſchedula, nouerint. Si qui verò non communicent, adnotentur, & ante quam feſtum Aſcenſionis Domini labatur, ad nos deferant. Deferant etiam ad nos, ſi quę ſint ſcandala in ſua Parochia, quibus ipſi per ſe opportunum remedium pręſtare non poſſint. De communione in Paſchate.

5 Parochorum cura ſit, vt in ſuis Parochijs deputentur viri graues, ac pij componendis ciuium diſſentionibus idonei. Pacis arbitri.

6 Cataſtum omnium ſuorum bonorum ad Eccleſiam pertinentium faciant, ac noſtro tradant ſeruandum Cancellario. Cataſtum bonorum.

Deputati ſuper quaſcunq; differentias parochorum.

7 Si circa decimas, aut quoduis aliud exigendum à à Parochis orta fuerit controuerſia, eam agi volumus apud deputatos à nobis, quos nominamus.

Ad. R. D. Malateſtam Gabutium Can.) Cathedr.
Ad. R.D. Bartholomęũ Palmuccium Can.)
Ad. R. D. Franciſcum Mariam Mozzium Prępoſ. Sancti Saluatoris.

CAPVT QVINTVM

De Regularibus, & Exemptis.

Regulariũ ordinum vtilitas.

1 QVANTVM vtilitatis, & ornamenti à Sacris Religioſorum ordinibus Eccleſię ſemper acceſſerit; nemo non nouit: noſque præcipuè, quos ſuo gregi Diuina pietas Paſtores addixit, experimur in dies; eorum opera in pleriſque curæ noſtræ munijs non mediocri commodo populorum vtentes.

Obſeruantia inſtitutæ vitæ commendatur.

2 Propterea, quia tali auxilio non ſolum non deſtitui, ſed magis corroborari deſideramus in dies, in viſceribus Ieſu hortamur omnes regulares, vt eam, quam profeſſi ſunt, vitæ rationem omni cura, ac ſtudio proſequantur.

3 Quamuis Religioſorum ordines à Sancta Sede approbati ſint, ſibique viuere ſine Epiſcoporum directione permiſſi, tamen multa, quæ communem ſpectant animarum ſalutem, eadem Sancta Sedes noluit ab eis liberè niſi ſcientibus, aut etiam conſentientibus nobis exerceri. Ea in primis ſunt Conciones habere, Confeſſiones excipere, Indulgentias publicare, Supplicationes extra clauſtrum inſtituere, Moniales alloqui, Sacros ordines ſicut, & Conſecrationem Eccleſiarum, aut ſa-

In quibus Regulares ſubiecti ſint Ordinarijs.

cra Olea aliunde expetere.

4 Præterea regulares tenentur ad officium Patroni Ciuitatis, & Prouinciæ, non tamen ad octauam, ſicut & abſtinere debent ab adminiſtrando Sanctiſſimo Viatico, aut Extrema Vnctione ſæcularibus perſonis, à Benedicendis Sponſis, aut Patrocinandis pueris in Baptiſmo, & in Confirmatione, ab Eccleſiarum conſtructione ſine noſtra facultate, ab efferendis ad ſepulturam mortuorum Cadaueribus ſine licentia Parochi. Officium Patroni.

5 Si quis Regularis extra clauſtrum, aut obedientiam ſui Superioris extiterit, noſtræ iuriſdictioni ſubiacebit: ſicut ſi in aliquo ad fidem ſpectante deliquerit, ad noſtrum, vel Inquiſitoris Tribunal deferendus eſt. Extra clauſtra degentes.

CAPVT SEXTVM

De Teſtibus Synodalibus.

1 EOrum officium eſt ſolum inquirere, an Dei Cultus per Canonicos, Parochos, & alios Sacerdotes, ac Clericos iuxta Conſtitutiones Eccleſiæ vniuerſalis, & noſtræ Diœceſis propagetur, vel certè quid patiatur. Teſtium Synodalibus offic.

2 In Teſtes Synodales Eligimus Teſtes Synodales.

R. R. D. D.

Hieronymum Spinuccium S. T. D.) Canonicos

Ioſephum Talianum.) S. Saluatoris.

Iacobum Valerium) Vicarios Curatos

Euangeliſtam Gilium.) Eccleſ. Cathedr.

Angelum Gabuccinum Archipresbyt. S. Georgij.

Octa-

Octauium Palmuccium S. T. D. Priorem S. Mariæ de Porta.

Vicarios Foraneos per Diœceſem.

CAPVT SEPTIMVM

De Iudicibus Synodalibus.

[illegible] Iudicum Partes.

VT cauſæ ad Eccleſiaſticum forum deductæ, ea qua par eſt doctrina, atque integritate tractentur, id ſummopere Iudicibus à nobis electis commendamus, vt in ſummam redigant cauſas.

Iudices.

Iudices Synodales Adm. R.R. D.D.

Ioſeph Compagnonus Archidiac. I.V.D.

Malateſta Gabutius I.V.D. Franciſcus Frontonus I.V.D. Pœnitentiarius. Io: Franciſcus Mozzius I.V.D. Bartholomæus Palmuccius I.V. & S.T.D.	Canonici Eccleſię Cathedralis.

Franciſcus Maria Mozzius I. V. D. & Sancti Saluatoris Præpoſitus.

CAPVT OCTAVVM

De Conſultoribus Synodalib.

1 VT Gregi noſtro nihil deeſſet eorum, quæ ab Amantiſſimo Paſtore poſſet expetere, adhibito Conſultorum plurium eorumque doctrina, ac vitæ probi-

Digitized by Google

probitate ſpectabilium conſilio Synodales Conſtitutiones edidimus.

2 Eorumdem partes erunt, ſi quæ in his legibus obſeruandis oriantur dubia, nobis conſilium, ac mentem ſuam aperire: eiuſdem ſiquidem principij eſt, & bona parere, & parta ſeruare. Conſultorum partes.

3 In Conſultores Synodales elegimus, & nominamus Conſultores Synodales.

Adm. R. R. D. D.

Ioſephum Compagnonum I. V. D. & Archidiaconum.

Malateſtam Gabutium I.V.D.
Franciſcum Frontonum I. V. D. & Pœnitentiarium.
Ioannem Franciſcum Mozzium I. V. D.
Bartholomæum Palmuccium I.V. & S. T. D.
} Canonicos Cathedralis Eccleſiæ.

Franciſcum Mariam Mozzium I. V. D. & Sancti Saluatoris Præpoſitum.

Fr. Ioannem Baptiſtam Talianum Ord. Prædicatorum Mag. & Vic. S. Officij.

Fr. Vincentium de Gulijs Minor. Conuent. Mag. S. T. & Phil. Profeſs.

Fr. Michaelem Angelum Syluanum Ord. Heremit. Sancti Auguſtini S. T. Mag.

P. Alexandrum Rotam Præpoſ. S. Pauli.

P. Vincentium Donum Societatis Ieſu S. T. Profeſſ.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT NONVM
De Examinatoribus Synodalibus.

Sincerum examen.

1 QVANTVM referat in animarum directores non niſi idoneos eligere, nemo non nouit: ad eorum ſiquidem vitæ rationem reliquorum mores informantur. Propterea maiori, quo poſſumus, animi ſenſu Examinatoribus Synodalibus commendamus, vt omni ſepoſita affectione mortali id muneris exequantur, ſolum Dei cultum, & animarum ſalutem præ oculis habentes.

Simoniæ ſuſpicio.

2 Caueant in primis ~~omnem Simoniæ~~ ſuſpicionem, quam fugere non poſſent, ſi quid ab examinandis acciperent, daturi alioquin & Deo, & nobis graues pœnas.

Iuramentum præſtandum.

3 Antequam Synodus abſoluatur, omnes Examinatores Synodales in manibus noſtris iurent ad Sancta Dei Euangelia, ſe hoc munus fideliter obituros.

Examinatores.

4 In Examinatores Synodales eligimus

Adm. R. R. D. D.

Ioſephum Compagnonum I. V. D. & Archidiaconum.

Malateſtam Gabutium I.V.D. Franciſcum Frontonum I. V. D. & Pœnitentiarium. Bartholomęum Mancinellũ I.V.D Amicum de Amicis I. V. D. Bartholomæum Palmuccium I.V. & S. T. D. Claudium Claudianum I. V.D.	Canonicos Eccleſiæ Cathedralis.

Fran-

Digitized by Google

Franciſcum Mariam Mozzium I. V. D. & Sancti Saluatoris Prępoſitum.

Franciſcum Riccium S. T. & Phil. D.

Fr. Ioannem Baptiſtam Talianum Ord. Praedicatorum Mag. & Vic. S. Officij.

Fr. Vincentium de Gulijs Minor. Conuent. Mag. S. T. & Phil. Profeſſ.

Fr. Michaelem Angelum Syluanum Ord. Heremit. Sancti Auguſtini Mag. & S. T. Profeſſ.

P. Alexandrum Rotam Praepoſ. S. Pauli.

P. Iulium Rettabenium Soc. Ieſu Rectorem S.T. Profeſſ.

P. Vincentium Donum Soc. Ieſu S. T. Profeſſ.

CAPVT DECIMVM

De Viſitatoribus Synodalibus.

1 VT ad Eccleſiæ formam exornandam multùm conducit optimarum legum inſtitutio; ita propemodum nullius momenti illa eſſe deprehenditur, vbi leges per incuriam non obſeruari contigerit. Viſitatorum munus.

2 Quapropter quò Conſtitutiones Synodales, quem in ijs condendis habuimus, ſortiantur finem, nominamus

Viſitatores Synodales.

Adm. R.R. D D.

Ioannem Franciſcum Ferrum
Amicum de Amicis I. V. D.
Claudium Claudianum I. V.D.
Ant. Flam. Marchettum I. V. D.
} Canonicos Cathedralis Eccleſię.

Viſitatores Synodales.

F Io:

Io: Baptiſtam Ferrum I. V. D. & Congreg. Orat.
Angelum Finum I. V. D.

CAPVT VNDECIMVM

De Vicarijs Foraneis.

1 QVONIAM per nos ipſos totam Diœceſim adminiſtrare non poſſumus, neceſſe eſt plures per illam conſtituere Vicarios, quorum curae, ac diligentiae plura commendemus.

Vicarij Foranei partes.

2 Ij igitur inuigilent in primis, vt Parochi, & reliqui Sacerdotes, ac Clerici ſuo munere rite fungantur: Vt hæ Synodales Conſtitutiones, ſicut & decreta à nobis in viſitationibus peracta ſeruentur.

Cauſæ peragendæ.

3 Cauſis ſuam excedentibus authoritatem, & iuriſdictionem ne ſe immiſceant; vt ſunt omnes illæ ciuiles, quæ ſummam quinque ſcutorum ſuperant.

Scandala deferenda.

4 Si quæ oriantur ſcandala, vel ſi quod graue delictum acciderit, ſtatim nos fieri certiores curent.

Proceſſus formandi.

5 In cauſis ad ſe ſpectantibus ſumma diligentia, ac fidelitate proceſſus fieri ſtudeant, eoſque ad nos tranſmittant.

Regulares extra Monaſterium.

6 Si Regularis aliquis ſine litteris patentibus ſuorum Superiorum illac vagus pererret, ad nos deferant.

Diſtributiones locorũ Piorum.

7 Inuigilent, ne bona locorum Piorum, quæ nobis ſunt ſubiecta, quid patiantur: in quibus diſtributiones, & diſpenſationes factas, & manu Vicarij Foranei non ſubſcriptas, nullas eſſe decernimus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT DVODECIMVM

De Monialibus.

1 SACRÆ Virgines,vt ſupremi Sponſæ Principis,ea par eſt,niteant integritate corporis,animiq;cãdore, vt Dei oculos & mouere queant, & detinere: Mirum quippe eſt quanto laudum apparatu Rex amantiſſimus in Sacris eloquijs per partes omnes Sponſæ ſuæ ornatum,mundumq; percurrat; non crinem,non calceum voluit illaudatum præteriri: eo ſiquidem Cœlum, hoc terra proſpicitur: Vt hinc amoris incorrupti ſinceritate,inde terrenorum omnium deſpectu in Diuino Sponſo flamma caritatis excitetur. *Moniales Spõſæ Chriſti.*

2 In primis igitur hortamur in Viſceribus Ieſu omnes Deo ſacratas Virgines, quæ, vt Cœlo liberius fruerentur, ſpretis mundi illecebris, vinculiſque diſruptis ſuam vltro libertatem emanciparunt, vt memores propoſiti eam vitæ inſtitutionem, quam vt ſanctam prius veneratæ, poſtea verò, vt ſalutarem ſunt ſecutæ, accuratè meditentur, ſeruentque diligenter. Animo enim generoſo æquè, ac pio, quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt. *Leges ſuas ſeruent.*

3 Propterea Miſſæ ſacrificio quotidie interſint. Concionibus audiendis frequentes ſint, ac tacitæ. Singulis ſaltem menſibus conſcientiam per ſacram Confeſſionem expient; & animam ſanctiſſima Euchariſtia reficiant. *Pietas commendatur.*

4 Vnus ſit omnium Confeſſarius à nobis approbatus: Nec vlla ex Monialibus alteri ſine ſpeciali noſtra facultate confiteatur. *Vnus Confeſſarius.*

Digitized by Google

Habitus ſæcularis. 5 Virili habitu nunquam Moniales vtantur: muliebri verò, & ſæculari, ſi quando vti contingat, exterorum quorumcumque proſpectum euitent. Ludi prohibiti. Taxillis, & aleis ne ludant. Canes. Canes intra Monaſterium nec teneantur, nec admittantur. Litteræ. Litteræ non mittantur, neque accipiantur ab exteris, quin prius Præfectæ, ſeu Abbatiſſę legendę monſtrentur.

Ornatus ſuperfluus. 6 In habitu, & cultu corporis vti mundicies, ac puritas maximè laudanda, ita profanus, & ſaecularis ornatus, ac fucus eſt reprehendendus in primis: ne ſacra Deo Virgo alterius, quàm Sponſi Cœleſtis oculis adornari videatur.

Ingreſſus in Monaſterium. 7 In Clauſtra Monaſterij, quę ſunt veluti ſepes dilectę Vineę Domini, nemo cuiuſcumque ſit ſexus ingredi ſine ſpeciali facultate pręſumat ſub pœna excommunicationis Summo Pontifici reſeruatę iuxta Conſtit. Pij V. & declarationem viuæ vocis oraculo Clementis VIII. *Quarant. in ſumm. Bullar. V caſus reſeruati.*

Quibus, & quomodo liceat ingreſſus. 8 Illi, quibus vel animarum, vel corporum curandorum, ſeu domeſticę rei pertractandę cauſa permiſſum id fuerit, vt ſunt Confeſſarij, Medici, Chirurghi, Baiuli, Fabri, & ſimiles, ſciant non ſibi licere aliò diuertere, quàm quò neceſſitas eos compellit: nec facultatem vllam illis conceſſam declaramus, niſi poſt ortum, & ante Solis occaſum.

9 Confeſſarius non ingrediatur hebdomada ſancta Monaſterium ad illud Aqua Benedicta luſtrandum.

Celebrantes in Eccleſia Monialium. 10 In Eccleſijs Monialium nullus Sacerdos ſiue ſęcularis, ſiue Regularis ſine noſtra licentia Miſſas, aut alia celebret officia, neque conciones habeat: habitę deinde facultatis prętextu nullam ex Monialibus alloquatur.

Collocutiones cum Monialib. 11 Nemo, exceptis conſanguineis, & affinibus in primo, & ſecundo gradu, ſine noſtra ſcriptis data licentia

centia Moniales alloquatur, aut collocutoria ingrediatur ſub pœna ſcutorum duodecim, quorum ſex Monaſterio Sancti Rocchi, alia executoribus danda præcipimus.

12 Qui cum tali licentia ad Monaſterium accedit, eam Abbatiſſæ ſeruandam dabit, referendam deinde nobis, ſiue per nos deputatis; nec vllam ex Monialibus alloquetur ſine auſcultatricibus de more præſentibus. Licentia in manu Abbatiſſæ.

13 A prima Dominica Aduentus vſque ad feſtum Natiuitatis Domini: à feria quarta Cinerum, vſque ad Dominicam Reſurrectionis, ſicut & omnibus ijs temporibus, quibus Moniales habet Chorus, nulli licentiam aliquam, aut conſanguinitatem, ſeu affinitatem ſuffragari volumus. Quibus temporibus licentia non valeat.

14 Ille, qui ratione conſanguinitatis, aut affinitatis accedit ad Monaſteria, nullam aliam ex Monialibus eo prætextu vocet in colloquium; alioquin tranſgreſſorum pœnis ſubiacebit.

15 Conuiuia, quæ aliquando fieri audiuimus cum ſæcularibus perſonis ad ianuam Monaſterij, omnino prohibemus; ſicut etiam, ne per illam, aut alio quolibet modo in clauſuram infantes admittantur. Conuiuia ad Ianuam. Infantium introductio.

16 Clerici, qui veſtes, & altaria ad Sacrificium inſtruunt, non eligantur à Monialibus ſine noſtro beneplacito. Miniſtri Eccleſiæ ſeruientes.

17 Exteri muſici non admittantur in Eccleſiam Monialium, vt ibi canant, vel cantum, aut ſonum doceant Moniales ſine noſtra expreſſa licentia; in quo reuocamus, & irritamus omnes illas facultates ob id hucuſque conceſſas. Muſici exteri.

18 Qui rem Monaſterij quomodolibet adminiſtrant, & curant, vt ſunt Aduocati, Procuratores, & ſimiles, cum Adminiſtratores.

Digitized by Google

ſola Abbatiſſa, aut ab illa deputatis agant: hanc autem adminiſtrationem, ſeu curam nemo ſuſcipiat niſi de noſtro conſenſu.

Suffragiũ de admittendis puellis.

19 Nulla puella admittenda in Monialium numerum vocetur in publica ſuffragia, niſi nobis ante conſultis; quæ verò aggregandæ ſunt, ſciant expeditè legere ad ritè in Choro pſallendum.

Excommunicatio in cogentes ad Monaſteriũ.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 8. de ref.

20 Nouerint omnes grauem à Concilio Tridentino fulminatam excommunicationem contra omnes, & ſingulas perſonas, cuiuſcunque ſint qualitatis, & conditionis, quæ quomodocunque coëgerint aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquam in caſibus expreſſis in Iure, ad ingrediendum Monaſterium, vel ad accipiendum habitum cuiuſcumque religionis; quæque conſilium, auxilium, vel fauorem dederint; quæque ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel autoritatem interpoſuerint.

21 Vt libertati puellarum Virginum conſulatur, ſeruentur, quæ ab eodem Sacroſancto Concilio ſeſs. 25. cap. 15. 16. & 17. ſtatuuntur; nempe quòd puella ante duodecimum annum habitum non ſuſcipiat: Quòd ante decimum ſextum completum profeſſionem non emittat, alioquin ſit nulla: Quòd ad profeſſionem non admittatur, niſi per nos, aut Vicarium noſtrum Generalem exploratum fuerit de Virginis voluntate, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat: Et quòd ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monaſterio nihil ex bonis eiuſdem tribuatur: Et hoc poſtre-

Ætas ſuſcipiẽdi habitum.

Emittendi profeſſionem.

Digitized by Google

ſtremum præcipitur à Sancta Synodo ſub pœna anathematis incurrenda, tam à dantibus, quàm accipientibus.

22 Præfecta ante menſem nos admoneat de profeſſione facienda ab aliqua nouitia.

23 In Eccleſia Monialium nulli exteræ perſonæ ſepultura concedatur, ſub pœna ſcutorum viginti quinque ſoluendorum à defuncti hæredibus Monaſterio Pœnitentium, ſeu Conuertitarum. Sepultura in Eccl. Monial.

24 Ad ianuam, quà in vſus Monaſterij neceſſaria per iumenta tranſuehuntur, nulla ex Monialibus accedat, præter eas, quibus id munus à Præfecta fuerit demandatum; quæ autem ibi adſtant de neceſſitate, non colloquendi cum exteris, ſed aduecta recipiendi cauſa tantùm id faciant. Ianuæ Monaſterij.

25 Principalis verò ianua Monaſterij raró aperiatur, & nunquam ante Solis ortum: nec ibi ad colloquendum cum vllo ex ſæcularibus Moniales immorentur.

26 Fores Eccleſiæ ſicuti non niſi poſt ortum Solis ſunt aperiendæ; ita in eiuſdem occaſu claudendæ. Et Eccleſiæ.

27 Nouitiæ ſeparatim ab alijs Monialibus habitent. Magiſtra Nouitiarum vna ſit electa à Capitulo, ſub cuius cura non ſit amplius Nouitia exacto anno integro nouitiatus; tunc tamen temporis profeſſionem emittat, vel dimittatur. Nouitiæ.

28 Officia quæcunque, quibus ſæculares interſunt, poſt occaſum Solis non protrahantur. Officia interdiu complenda.

29 Si quando à Monialibus concentus muſici vſurpentur (quos ſacris Virginibus ad imitationem B. Cæciliæ, quæ decantantibus organis ſuauiſſimè Domino decantabat, prohibere non poſſumus) ne ex laudibus ſoli Deo debitis aliquid ſibi decerpat communis hoſtis, maiori, quo poſſumus, animi ſenſu mandamus, vt ij non fiant Cantus quatenus permiſſus.

extra

Digitized by Google

extra diuina officia, non ad crates Eccleſiæ, ſeu Collocutorij, non ad ianuam; ſed neque canantur, quæ ſunt Italico, ſeu vulgari ſermone compoſita.

In ingreſſu puellarum Virginū.

30 Eodem modo iubemus, ne Puellæ primùm ingredientes Monaſterium numero Monialium adſcribendę, excipiantur concentibus, aut cantibus, apertis coram confluente populo ianuis: Quę enim mundo valedicunt, vni Deo placiturę, omnes, par eſt, vt mundanos ſtrepitus, ac rumores euitent, ac fugiant.

Abbatiſſæ electio.

31 Ad Abbatiſſam eligendam debent ſaltem duę tertię partes Capituli ſuis ſuffragijs accedere; alioquin electio ſit nulla; non obſtante quocunque vſu, & conſuetudine, ſeu lege in contrarium; ſic enim conſultiùs prouidetur quieti totius Monaſterij.

32 Hę Conſtitut. Italico redditę ſermoni ſeruentur in Monaſterijs, & in Capitulo recitentur ſtatutis tẽporibus.

Regulæ Capuccinarum, & Orphanarum.

33 Quas typis impreſſas habent Regulas Conuentus Capuccinarum, & Orphanarum, ſtrictè admodum ſeruẽt; nec in vlla earum fiat aliqua diſpenſatio abſq; facultate plenæ Congregationis Conſultorum Synodalium.

Confeſſarij extraordinarij.

34 Quando Monaſterijs Confeſſarios per annum extraordinarios concedimus, volumus prius ijs praefigi tempus decem dierum, quibus munus ſuum perficiant: Deinde tunc temporis Confeſſarius ordinarius ſine noſtra liceatia (quam non niſi ex vrgentiſſima cauſa concedemus) ad Monaſterium non accedat.

Feneſtræ vicinarum domorum.

35 Nulla in vicinis Monaſterio domibus feneſtra aperiatur, vnde in illud poſſit patere proſpectus: ſi ſit aperta, claudatur.

Cantilenæ prope Monaſteria.

36 Nullus ſaecularium prope ſepta Monialium audeat, noctu praeſertim, cantilenis, aut concentibus muſicis vacare.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT DECIMVM TERTIVM

De Notarijs, ac Contractibus.

1 CVRENT Notarij omnes, vt publici Iuſtitiç diſtributiuç Miniſtri, in ſuo munere obeundo diligentiam aequè ſeruare, ac fidem. Diligentia, ac fides.

2 Notarij rogati de vltimis voluntatibus, ſi quod legatum pium fuerit, poſt duos menſes à teſtatoris obitu certiores faciant Rectores, ſeu adminiſtratores eius loci pij, cui legatum fuerat addictum; ſub pœna excommunicationis, & ſcutorum decem, quæ Monaſterio Sancti Rocchi applicentur. Pia legata.

3 In exigenda mercede eos fines, quos nos præſcripſimus, ne tranſgrediantur. Mercedis exactio.

4 Omnes contractus poſt dies quindecim ad ſummum protocollo adſcribant; alioquin nullus Confeſſarius ijs abſolutionem impertiat, donec ſuo muneri ſatisfecerint. Cōtractus reddendi protocollo.

5 In annuis cenſibus ſeruetur Conſtitutio Pij V. aliàs irriti ſint. Cenſus.

6 Notulam cuiuſcunque contractus ad Pia loca ſpectantis deferant ad noſtrum Cancellarium ab illo ſeruandam; quò vnuſcuiuſque loci pij iura, ac bona non pereant. Contractus in rebus pijs.

Digitized by Google

CAPVT DECIMVMQVARTVM

De Miniſtris Fori Epiſcopalis.

Iuramentum præſtandum.

1 QVICVNQVE in miniſtros fori noſtri Epiſcopalis electi fuerint, non ante munus ineant ſuum, quàm iureiurando promiſerint, ſe illi omni fidelitate ſatisfacturos.

Diligentia commendatur.

2 Diligentes ſint in ſuſcipiendis, faciendis, & ſcribendis querelis, accuſationibus, inquiſitionibus, denunciationibus, proceſſibus, inſtrumentis, litteris patentibus, & ſimilibus, quæ à noſtro foro ſuſcipi, ſcribi, atque formari contigerit. In quo maximè inuigilent, vt annus, ac dies ſuſceptæ querelæ, accuſationis &c. adſcribatur.

Stipendia laborum.

3 In exigendis ſtipendijs laborum ſuorum, ſeruent, quæ à nobis in hoc ſunt ſtabilita, aliàs dabunt pœnas noſtro arbitrio.

4 Meminerint demum forum Epiſcopale, quod, quàm maximè fieri poteſt, integerrimum, atque incorruptum eſſe debet, maxima ex parte ex miniſtrorum probitate pendere.



TITVLVS

Digitized by Google

TITVLVS TERTIVS

De Locis Pijs.

CAPVT PRIMVM

De Sacroſanctis Eccleſijs, & Altaribus.

1 MAXIMI ſemper, & meritò habitus eſt in Eccleſia Templorum nitor, & cultus: Eo quippe fidelium pietas, & in Deum reuerentia nimium quantum augetur: Mandamus igitur omnibus Eccleſiarum rectoribus, atque miniſtris, vt omnem adhibeant diligentiam, quò Eccleſiæ, Oratoria, Capellæ, & Altaria, quorum adminiſtrationem gerunt, ſumma munditia, atque ornatu, quantum fieri poterit, niteant; & nihil omnino vel in tectis, vel in parietibus, vel in feneſtris, vel in pauimento, vel alibi videatur, quod vel accedentium oculos offendere, vel à frequentandis pijs locis eorum animos aliqua ratione poſſit auertere: Siquidem grande nimis peccatum eſt (vt Sacrae Scripturae loquuntur) detra-

Cura Templorum commendatur.

here homines à Diuino cultu, atque obſequio.

Nouæ Eccleſiæ. 2 Nouas Eccleſias, Capellas, & Oratoria ſine noſtra facultate nulli licet erigere; nec in erectis Diuina Officia celebrare, quin per nos prius conſecrentur, aut benedicantur.

Profanæ imagines. 3 In ornandis Templis viteuur quorundam illaudabilis vſus exponendi fidelium aſpectibus profanas imagines, aut picturas: Concentus etiam muſici ſint graues, & ad pietatem compoſiti, qui deuotionem excitent, non curioſitatem irritent, ac nutriant.

Locus Concioni audiendæ. 4 Sedilia, & ſubſellia, quæ in Eccleſijs ad audiendum Dei Verbum ſeruari ſolent, congruo ſint ordine collocata, & in eandem formam, quantum fieri poteſt, elaborata. Declaramus autem, nullum ius vnquam laycis acquiſitum in ijs eſſe, etſi longo tempore ibi ea eſſe permiſerimus: ſed liberum eſſe, ea permutare, prout magis expedire iudicauerimus.

Altarium mundities. 5 Altaria ſint munda, tribus cooperta mappis, cum Cruce, aut imagine, cum pallijs pro temporum differentia coloratis, immunia à puluere, & quouis alio, quod è ſuperiori parte in illa poſſet immitti; ſint dotata, alioquin tollantur: prope illa nulla ſit ianua, vnde ventorum ingreſſu celebrās ibi Sacerdos perturbetur. Altarium oſculatio. Ad Altarium oſculationem nullo modo populus admittatur.

Supellex cuſtodienda. 6 Sacra ſupellex in Sacriſtia ſeruetur per Æditos ſumma cum diligentia, tum quoad decentiam, tum quoad ſecuritatem, ne vel ob loci humiditatem corruptelæ, vel ob cuſtodiæ defectum latrocinijs ſit obnoxia. Non commodanda. Porro ex ea, quæ ad Cathedralem Eccleſiam ſpectat, nihil alijs commodetur, ſub pœna excommunicationis, neque prętextu, quod inſeruire debeat alicui ex Canonicis, aut alteri ex Capitulo eiuſd. Eccl. alibi ſacra officia peracturo.

7 Vbi

7 Vbi celebraturi Sacerdotes apparantur, vel Crux, vel pia ſpectetur Imago. Sacræ veſtes decenti ſubſtrato panno excipiantur. Paratus ad celebrandum.

8 Si Eccleſiam aliquam, aut Capellam, aut Altare labi contigerit, aut deſtrui, cæmenta lapides, & rudera, ad alios non pios vſus nemo conuertat. Eccleſiæ deſtructæ materies.

9 Onera Miſſarum, quæ illis erant addicta, in Matrices, ſeu viciniores transferantur Eccleſias. Onera Miſſarum.

CAPVT SECVNDVM

De Capitulo Cathedralis, & Collegiata S. Saluatoris.

1 NECESSE eſt, ſæpius inter ſe conueniant tum Canonici Cathedralis, tum Collegiatæ Sancti Saluatoris, ad conſulendum, ne res Diuina quid detrimenti patiatur; ne Eccleſiæ bona dilabantur. Crebra Congregatio.

2 Negocia ſtatuantur ſecretis ſuffragijs: aliter ſtatuta, nulla ſint: exteris non propalentur ſub pœna ſuſpenſionis: Nemo alteri aut dandum, aut videndum tradat ſuffragium ſuum. Suffragia ſecreta.

3 Vt Congregatio ſit legitima debet ſaltem media Capituli pars adeſſe, aliàs nullam declaramus. Congregatio legitima.

4 Decreta in codice referantur. Ad ſeruandas ſcripturas Archiuium ſit clauibus obſeratum, quarum vnam Archidiaconus, eoque abſente ſenior ex Canonicis, alteram Secretarius cuſtodiet, quo inſcio nulli ſcripturam, aut codicem quempiam inde licebit extrahere. Archiuium.

5 Ne

Digitized by Google

Cataſtum bonorum.

5 Ne bona Eccleſiæ peſſum eant, ſicut multa iam iuiſſe dolemus, mandamus fieri cataſtum omnium bonorum Eccleſiaſticorum in Archiuio ſeruandum; & ſi quando contigerit ea locanda eſſe, nec locatio, nec cenſus fiat penes Canonicorum conſanguineos vſque ad ſecundum gradum incluſiuè.

Ad decreta bis cogendum Capitulum.

6 Cum Capitulum cogendum erit cauſa diſponendi de bonis communibus, bis cogatur: in primo proponantur, quæ ſunt agenda; in altero propoſita decernantur.

Depoſitio officij.

7 Quando officiales mutantur, tradatur ſucceſſoribus nota eorum, quæ ad ſingularia ſpectant officia.

CAPVT TERTIVM

De rebus Eccleſiæ non alienandis.

1 BONA Eccleſiaſtica, vtpotè hæreditas Domini; ſumma debent cura cuſtodiri; vt Supremus Pater familias rationem aliquándo repetiturus, quod laudet, ac muneret; non quod damnet, ac plectat, inueniat.

Alienantes bona Eccleſię excommunicantur.

2 Si quis bona quocunque titulo ad Eccleſiam pertinentia, aliqua ratione vel vſurpare, vel quomodolibet alienare præſumpſerit, Anathemati tandiu ſubiacebit, quandiu in integrum ſit res Eccleſiaſtica reſtituta: & ſi quidem Clericus fuerit, ſuſpenſione, & beneficij, ſi quod habuerit, priuatione punietur.

Conſtitutio publicanda.

3 Hæc conſtitutio à Parochis ſuis parochialibus vulgari ſermone publicetur.

Cataſtum faciédum.

4 Ne bona Eccleſiæ paulatim dilabantur, in primis ab

eorum

Digitized by Google

eorum Rectoribus,Cuſtodibus, ſeu quomodolibet Adminiſtratoribus fiat eorundem Cataſtum, ſeu inuentarium cum ſuis terminis, partibus, Iuribus, actionibus, & ſimilibus; idque in vniuſcuiuſque pij loci ſeruetur Archiuio.

5 Præterea locationes vltra triennium, venditiones, permutationes, & quæcunque aliæ translationes ſine Apoſtolicæ Sedis beneplacito fieri nequeunt. Quod verò ex Cap. Terrulas permittitur nobis, vt facultatem impertiamur alienandi res exiguas, id intelligendum dicimus de non excedentibus pretium viginti quinque circiter ducatorum aureorum de Camera, iuxta communem Doctorum ſententiam. Quæ locationes liceant. Quid ſit Terrula.

6 Cum verò contigerit, bonorum locationes fieri cum facultate, eæ non conſanguineis, aut affinibus intra ſecundum gradum, ſed neque Hebræis fiant. Si agri ſint, vicinis,quantum fieri poteſt, non locentur: quòd ſi aliud neceſſitas exigat, in locationis apòcha deſcribantur fines, & termini. Anticipatæ ſolutiones vltra ſex menſes non recipiantur in præiudicium ſucceſſorum. Quibus facienda locatio. Et qualiter.

7 In ijs contractibus, in quibus fideiuſſio requiritur, apponatur clauſula obligans ad renouationem eiuſdem. Fideiuſſio.

8 Arbores fructiferæ ne cædantur ſine noſtra facultate; eaque habita aliæ plantentur,aut inſerantur. Quæ autem dicuntur cæduæ, in duplici ſunt genere: aliæ ſe totas præbent in fructus; aliæ ſolùm materiam igni ſubminiſtrant; illæ à radice, hæ verò tantùm, quà ſtipes partitur in ramos, poſſunt abſcindi. Arbores ne cædantur. Arbores cęduę

9 In Canonibus, & Laudemijs tum exigendis, tum adnotandis cura diligens adhibeatur: Et ſi pœna caducitatis ob defectum ſolutionis, vel quiduis aliud incurratur, ea in præiudicium Eccleſiæ non condonetur. Canonis exactio.

10 Scri-

Digitized by Google

Scripturæ deferendæ.

10 Scripturæ omnes, quæ ad Eccleſias quaſcunque ſpectant, deferantur ijſdem ab eas habentibus intra menſem, ſub pœna excommunicationis; nec liceat alicui illas ab Eccleſiæ Archiuio detrahere ſub eadem pœna.

CAPVT QVARTVM

De Confraternitatibus.

1 SALVBRITER inuectas, & ſanctè hucuſque ſeruatas Confraternitates, par eſt, impoſterum pari animo, ac diligentia cuſtodiri.

Leges ſeruandæ

2 Omnes Confraternitates ſuas habeant, ac ſeruent leges, & ſtatuta; eaque ſi non habeant, condant, nobiſque deferant approbanda.

Confratrum mores.

3 Confratres omnes pietate, atque integritate morum præſtent: qui tales non fuerint, non admittantur, admiſſi corrigantur; incorrigibiles è catalogo Fratrum expungantur.

4 Confratres infra decimumſextum annum vim ſuffragij non habeant.

Societatum aggregationes.

5 Societates, quę Religionibus, & Confraternitatibus aggregantur, à nobis approbari debent; harum verò Congregationum prętextu nullus Sacerdos audeat à caſibus, aut excommunicationibus vel Summo Pontifici, vel nobis reſeruatis abſoluere; multòque minus in aliqua irregularitate diſpenſare.

Cataſtum bonorum.

6 Confraternitates omnes habeant Cataſtum, ſeu inuentarium omnium bonorum, & iurium quomodolibet ad illas ſpectantium, ſeruandum in Archiuio: Vbi etiam ſeruetur liber, in quo ſingillatim deſcripti ſint contractus

omnes

Digitized by Google

omnes donationes, legata, officia, ſeu munia, & onera Miſſarum.

7 Ad eleemoſinas quęrendas, quod ſumma cum moderatione, ac pietate pręſtandum eſt; non eligantur mulieres, ſed confratres, qui ſaccis induti ſub Vexillo, aut Cruce ad eas perquirendas accedant. Eleemoſinæ nō per Mulieres.

8 Caueant ne obuentiones quaſcunque in alios vſus conuertant, quàm in deſtinatos. Bona non aliò diuertenda.

9 Adminiſtratores peritos, ac pios conſtituant, qui rei totius curam gerant; quique ſingulis annis rei adminiſtratę rationem ad nos deferant: nec non depoſitarium cum eodem onere, ſed cum incremento ſtipendij. Adminiſtratores.

10 Nullus niſi in vna Confraternitate ius habeat ſuffragij: nec pluribus adſcribatur, excepta ratione acquirendarum Indulgentiarum. Nomen adſcribendum vni Confraternitati.

11 Cum Confraternitas ob adminiſtrationem rei familiaris eſt cogenda, ſeruentur ea, quæ cap. de Capitulo Cathedralis ſunt præſcripta: ſcilicet quòd res ſecretis, non communicatis ad inuicem ſuffragijs tractetur: quòd bis congregentur confratres: primùm proponantur, quę ſunt decernenda, ſecundò propoſita decernantur. Congregatio cogenda.

12 Nec cenſus inſtituantur; nec pecunia, aut aliud ex bonis locetur ſine noſtra facultate. Locatio bonorum.

13 Cum agitur de re ſpectante ad aliquam particularem perſonam, omnes eius conſanguinei in primo, & ſecundo gradu ab ea Congregatione abſint. Conſanguinei Confratrum.

14 Nihil decernatur niſi in plena Congregatione, pro qua numerum certum præſcribat vnaquæque Confraternitas, deque eo nos faciat certiores. Certus numerus Congregationis.

15 Quotannis in omnibus Confraternitatibus noui fiant Officiales, in quos nemo poſſit aſſumi, niſi ſaltem per triennium ab ijs vacauerit. Renouatio Officialium.

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM

De Seminario Puerorum.

1 OPTIME norunt Patres Sacri Concilij Trid. quantum interſit Reipublicæ Chriſtianæ bona puerorum educatio tum in pietate, tum in ſtudio litterarum. Propterea formam Seminarij Clericorum optimis legibus ſtabiliuit, eamque Epiſcopis ſummopere commendauit.

Conc. Trid. conc. 23. c. 18.

Seruandæ leges

2 Mandamus itaque præſcripta à Sancta Synodo ſtatuta; ac leges accuratè ſeruari; ſicut, & eam particularem viuendi formam, quam fel. record. Card. Centinus haberi voluit, quamq; nos infra ſubijciemus ad litteras, moreſque ſpectantem.

Præfecti partes

3 Præfecti Seminarij inuigilent, vt, quæ ſunt ſtatuta, ſeruentur: vt in ſuis quiſque claſſibus permaneat, atque proficiat: vt omnes ſingulis diebus Miſſæ Sacrificio interſint, & ſingulis menſibus Sacra Exhomolegeſi purgent conſcientias: vt pij, modeſti ſint, ac ſtudioſi virtutis: vt ſtatutis temporibus in Eccleſiam ad Sacra officia peragenda conueniant.

4 Præſides Seminarij, qui illius curam habeant, nominamus

Adm. R. R. D. D.

Præſides Seminarij.

Ioſephum Compagnonum Archidiaconum, &
Bartholomæum Palmuccium Canonicum.

CAPVT

CAPVT SEXTVM

De Iure patronatus.

1 MEMINERINT omnes, Iuspatronatus inſtitutum eſſe ad augendum ſolum diuinum cultum, pietatemque fouendam: Propterea quicunque eo potiuntur, id in primis præ oculis habeant, neceſſe eſt.

2 Eccleſiæ, ſeu Altaris, cuius quis eſt patronus, nullo modo adminiſtrationem ſibi arroget, vel ſuperſtite, vel vita functo Rectore, aut Capellano. *Adminiſtratio non ſibi arroganda.*

3 Cum vacatio contigerit non præſentetur indignus, non illegitimus; alioquin præſentatio ſit nulla. Præſentatus noſtro ſe ſubdat examini, & probationi. *Præſentatio.*

4 Iuspatronatus ſola reparatione non acquiritur; amittitur autem, ſi in alios, præterquàm in Eccleſias, aut loca religioſa quocunque titulo transferatur. *Amiſſio iuris ex translatione.*

5 Omnes Iuspatronatus habentes deferant & iuris ſui, & bonorum notam ad noſtrum Cancellarium. Permutationes, aut alij contractus circa bona, in quibus illud fundatum eſt, ſine noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia ne fiant; eoſque ſub pœnis arbitrio noſtro, cum obligationibus, & vadimonijs in noſtra Cancellaria ſeruari mandamus. *Nota bonorum* *Permutationes.*

Digitized by Google

CAPVT SEPTIMVM

De Hoſpitalibus, & alijs Locis pijs.

1 COMMENDANDA plurimum eſt in Eccleſia eorum fidelium pietas, qui pauperum peregrinorum ægrotantium neceſſitatibus conſulentes, Hoſpitalia in eorum ſuſtentationem erexerunt: & ne in tanto opere mens eorum defraudetur, omni ſtudio, ac diligentia à Præfectis Hoſpitalium cuſtodiri oportet, atque adminiſtrari, quæ eorum curæ, fideique ſunt demandata.

Diligentia, ac cura.

2 Qui in adminiſtrandis Hoſpitalium bonis ſunt deputati, id munus non exerceant prius, quàm iureiurando ſe obſtrinxerint, rem integrè adminiſtraturos: ſingulis verò annis adminiſtrationis rationem reddent.

Iuramentum adminiſtratorum.

3 Ægroti recens excepti poſt biduum peccata ſua per confeſſionem expient, & animam cœleſti Sanctiſſimæ Euchariſtiæ pane reficiant. Si mortis periculum ineatur, extrema muniantur Vnctione, & per pios Sacerdotes auxilium præſtari curetur,

Infirmi confiteantur.

4 Mulieres diuerſis habitationibus vtantur, ac viri.

Mulierum habitatio.

5 Quatuor habeantur codices; quorum primo bona, iura, & omnia pertinentia ad Hoſpitale; alteri legationes, donationes, & contractus omnes cum oneribus miſſarum, earumque ſolutionibus; Tertio redditae rationes adminiſtrationis peractæ, nec non dati, & accepti; Poſtremo decreta, & ſtatuta per confratres adſcribantur.

Quatuor libri habendi.

6 Viſi-

6 Viſitatores Hoſpitalium per nos deputandi inuigilent, vt quæ ſtatuta ſunt circa eorundem adminiſtrationem, ac regimen, exactè ſeruentur: quod ſi ſecus fieri contingat, ad nos deferant, qui pœnas noſtro arbitrio delinquentibus infligemus. Viſitatorum munus.

7 In Hoſpitali Sancti Martini ne recipiantur erratici, & artem infamem exercentes; ſicut nec inhoneſtæ mulieres: aliæ verò oſtendant authenticam fidem matrimonij, ſeu primi gradus conſanguinitatis, ſi cum viris accedant. Arcendæ perſonæ infames.

8 Mortuorum nomina libro in hunc vſum parato referantur, adiecto anno, ac die obitus. Liber mortuorum.

9 Orphani apud Eccleſiam Sancti Ioannis Baptiſtæ alendi, ſint filij pauperum, qui aliunde ſibi victum nequeant comparare: Non infra ſeptimum, nec ſupra decimum octauum recipiantur, aut detineantur. Quà manſuetudine, quà etiam aſperitate, ſi opus fuerit, bonls inſtruantur moribus. Orphanorum conditiones.

10 Si ingenio ſint prẹditi, grammaticis imbuantur inſtitutionibus; ſin minus, honeſtis opificijs exerceantur: Omnes tamen inſtruantur fidei rudimentis: Ad peccatorum ſuorum confeſſionem, & Sacramentum Euchariſtiæ frequenter accedant.

11 Si quis eorum quid bonorum ſtabilium poſſideat, reſeruata ſorte principali, fructus in illius ſuſtentationem impendantur. Eorum bona ſeruanda.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM

De Monte Pietatis.

1 IN egenorum præſidium per ſummam pietatem erectus hic Mons, quò illi veluti inundantibus calamitatum aquis confugiunt, pari ſtudio, ac fide ſeruandus incolumis; ne tam ſalutari pauperes deſtituantur aſylo; propterea optima eius ſtatuta, & leges ſtrictè ſeruentur.

Bona pignore accepta.

2 Bona, quæ pignore ſunt accepta, cuſtodienda diligenter, & ab omni periculo tum corruptelæ, tum latrocinij ſeruanda ſunt. Si poſt decem,& octo menſes à Dominis ea repetita non fuerint,ne Montis iura minuantur, vendantur; pretium dominis reſtituatur, detracta pecunia, quam Mons exoluerat: alioquin ſi negligentia cuſtodis quid perierit, illi, non Monti perire ſtatuimus.

Tempus receptionis.

Nil vltra datum accipiendum.

3 In reſtituendo pignore nihil vltra pecuniam acceptam, niſi quid modicum exigatur ad miniſtrorum ſuſtentationem, & officij onera ſubeunda: hanc autem mercedē edicimus ritè ſolui (donec à nobis aliter prouiſum non fuerit) ſi tria pro quolibet centeſimo in integro anno ſoluantur. Si quis verò maiorem ſummam exigat, vel etiam oblatam accipiat, fœneratoris, ſeu vſurarij pœnas dabit.

Cuſtodes iurent.

4 Cuſtodes non prius ſuo fungantur officio, quàm iureiurando promittant, ſe rem totam ſumma fide, ac diligentia adminiſtraturos, atque ſeruaturos; totiuſque adminiſtrationis dato vadimonio ſpondeant rationem redditituros.

5 Pecu-

Digitized by Google

5 Pecuniæ Montis non in alios vertantur vſus, quàm in deſtinatos: pauperes verò ſemper alijs præferantur. Pecuniarum vſus.

6 Quoniam magnum ſubitur periculū amittendi Montis pecunias, vt experientia docet, ſi mutuò dentur, præter quam quod id longè ab earum fine diſiungitur, Cuſtodibus, atque Rectoribus Montis mandamus, atque præcipimus, ne id faciant, ſecus facientes, ſciant ſe peccare mortaliter, & in amiſſione pecuniarum obligari ad reſtitutionem earum. Non mutuò detur.

7 Nunquam pro pignore detur ſumma tranſcendens ſcuta ſex: ne facilè in aliorum præiudicium Mons exhauriatur. Sex tantum ſcuta.

8 Pro pignore non accipiantur arma, non libri; non denique quidquid temporis conſumit iniuria: & illud à Communitatibus non accipiatur; tum quia nullius peculiaris pauperis egeſtati conſulitur; tum quia difficile admodùm pignus ab iiſdem redimitur. Quid accipiendū pro pignore

CAPVT NONVM

De Vniuerſitate, ſeu Studio.

1 QVANTI ſint decoris, & ornamenti noſtræ huic Ciuitati publicè aperta diſciplinarum Gymnaſia, nullus oculatus non videt: In quo Ciuium generoſitas, ac ſplendor nitet in primis, qui tantam honeſtatem, ac gloriam ſummis impenſis emere ſtatuerunt. Vniuerſitatis dignitas.

2 Verùm quia nobis ampliſſimę huius Vniuerſitatis cura eſt demandata, ſummo, quo poſſumus, animi affectu hortamur Doctores, ac Magiſtros omnes, vt non ſolum Doctrina cum pietate.

ſcientia

Digitized by Google

ſcientia litterarum, ſed etiam vitę, ac morum integritate inſtructi ad docendum accedant: Vt his veluti duabus alis ſicut hactenus, ſic in poſterum huius Collegij fama latè diuagetur.

Fidei profeſſio.

3 Nullus ſiue publicum docendi munus, ſiue Doctoratus lauream ſuſcipiat, non prius edita iuxta formulam Sac. Conc. Trid. Fidei Profeſſione: quam edere tenentur omnes ij, qui Magiſtri cuiuſcunq; facultatis extiterint.

Ludimagiſtri partes.

4 In Vrbe, ſicut & in Diœceſi noſtra nemo ludum litterarium aperiat ſine noſtra ſcriptis accepta facultate, eaque non niſi præuio de moribus, ac litteris examine habita, Ludimagiſtri non minus in pietatis, quam litterarum ſtudio pueros ſibi commiſſos erudiant: Vnde ſingulis quibuſque menſibus curent, vt peccata per Confeſſionem expient; &, ſi apti fuerint, ad Sacram Euchariſtiam accedant, ſin minus, ad eam ſuſcipiendam inſtruant. Caueant, ne libros explicent aut contra fidem, aut contra bonos mores aliquid redolentes.

Puerorum inſtitutio.

5 Vt Vrbis, & Oppidorum inſtitutum pium, ac laudabile, quo in pauperes litteris imbuendos Ludimagiſtri publico ducuntur ære, non maximè commendare nō poſſumus: ita hortamur omnes, quorum regimini res publicæ ſunt commendatæ, vt vſum iuuentuti bene inſtituendæ tam neceſſarium non modò non intermittant, ſed nulla habita ratione impenſarum, foueant, ac nutriant.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS QVARTVS

De cura, & ſalute Animarum

CAPVT PRIMVM

De Prædicatione Verbi Dei.

1 SPIRITVS Sancti gratia vt aliàs, tum maximè per ſacras Conciones ſuorum fidelium mentibus ſe infundit. Hortamur itaque omnes, quicunque ad prædicandum Verbum Dei ſunt vocati, meminerint, quanti momenti ſemper in Eccleſia Dei id munus extiterit: ex eo quippe bona populorum inſtitutio pendet in primis.

Concionatores Approbandi.

2 Propterea non accedant ad conciones habendas niſi debita inſtructi doctrina, niſi approbati à nobis; vel ſi regulares ſint, à ſuis ſuperioribus: qui tamen in proprijs Eccleſijs ſine noſtra benedictione, in alienis ſine beneplacito, id præſtare non poſſunt.

Quales eſſe debeant.

3 Non iocoſa, aut ſcurrilia permiſceant, quibus omnis euacuatur pietas, ac deuotio in audientibus. Si aliquando profanis auctoribus ſententiæ firmari poſſunt, multò tamen frequentius ſacræ Scripturæ, & Sanctorum

Digitized by Google

Patrum autoritate fulciantur. Non opiniones parum receptas, & à communi Doctorum ſenſu alienas ſectentur. Subtiles, & ad mores emendandos inutiles quęſtiones fugiant. Vanam memorię, & ingenij oſtentationem euitent. Demum ſolum Chriſtum Dominum, & hunc Crucifixum prædicent, quem omni diligentia, & cura in audientium cordibus formare conentur.

4 In rebus ad fidem, ſanamque doctrinam ſpectantibus abſtineant ea proponere, quorum rationes in contrariam partem faciliùs, quàm ſolutiones percipiuntur à vulgo.

Auditio Verbi Dei commendatur.

5 Hortamur etiam omnes vtriuſque ſexus fideles, vt audiendis concionibus ſint frequentes, modeſti, taciti, ac deuoti; ne obicem ponant cœleſti gratiæ, quæ mirum in modum per Dei Verbum in humanos animos illabitur. Idcirco tum Parochi, tum Confeſſores hortentur pœnitentes, vt Verbum Dei tempore pręſertim Quadrageſimæ audiant frequentes.

Locus mulierum ſeiunctus.

6 Inter audiendas conciones, mulieres, & viri ſint in loco ſeiuncto; & ne inuicem pateat proſpectus, ſeu tabulatis, ſeu linteis caueatur.

Epiſcopo concionante.

7 Si quando Epiſcopus concionetur, per id tempus nullus alius in Vrbe publicè verba faciat.

Clerus non deſideretur.

8 Dum in noſtro Cathedrali Templo concio habetur, hortamur, vt adſint frequentes Clerici, Beneficiati, & Canonici omnes: Indecens enim eſſet, ſi dum exteri ad Cathedralem Eccleſiam audiendi Verbi Dei deſiderio conueniunt, abeſſent illi, qui cæteris in deuotione, ac pietate eſſe debent exemplo.

De Virginis Immaculatæ Conceptione.

9 In publicis concionibus licet aſſeri poſſit, probariq; Beatiſſima Virgo Immaculata in primo ſuę Sanctiſſimę Conceptionis inſtanti; contraria tamen ſententia, ſicut

in

Digitized by Google

in concionibus, *ita* & *in* alijs actibus publicis iuxta Conſtitutionem Gregorij XV. aſſeri nequit: verùm ea damnari aut erroris, aut hæreſis non poteſt ſub pœnis ibi contentis.

10 Tempore Quadrageſimæ mane dum Conciones habentur, occludantur apothecæ, atque officinæ ſub pœna vnius floreni. **Apothecæ occludendæ.**

CAPVT SECVNDVM

De Doctrina Chriſtiana.

1 MAXIMI ſemper, & meritò ab Eccleſia Dei habita fuit puerorum cura, & quæ ſine culpa graui aut præteriri, aut negligi non poteſt.

2 Propterea ſtrictè mandamus omnibus Parochis, & animarum Rectoribus, vt ſingulis diebus Dominicis ſpeciali campanæ ſigno pueros, ac puellas parochiales conuocent, eoſque doctrinam chriſtianam doceant; Vnde deſcripta habeant eorum nomina, diligenterque perquirant, ne aliquis ineruditus prætermittatur. Qui verò id per ſe præſtare non poterit, hoc munus committat alteri, à nobis approbando. **Pueri edocendi in rebus fidei.**

3 Cum pueri prope decimum annum attigerint, explorent, an ad Sacram Euchariſtiam ſint idonei: audiuimus enim non ſine dolore, inuentos aliquando pueros quartumdecimum annum attingentes, & nunquã adhuc Cœleſti pane refectos; profectò non ſine magna incuria eorum, ad quos talium ſpectabat inſtructio. **Informandi ad Euchariſt. vſum.**

4 Non ſolùm Parochi, ſed etiam Ludi Magiſtri in Doctrina Chriſtiana pueros inſtruant, eamque ſemel in heb- **Ludi Magiſtri partes.**

Digitized by Google

domada memoriæ mandari, ac pronunciari curent à pueris, iuxta formam infra ſubdendam.

Præfectus Doctrinæ.

5 Doctrinæ Chriſtianę Præfectum edicimus Admod. R. D. Claudium Claudianum Canonicum Cathedralis Eccleſię.

CAPVT TERTIVM

De Indulgentijs.

Indulgentia quid ſit.

1 CVM opera noſtra bona aut parui, aut nullius ſint valoris in ſe ſpectata, ea corroborare oportet pretioſo ſanguine, & meritis Chriſti Domini, qui eſt vſus Indulgentiarum. Ea propter hortamur omnes dilectiſſimos in Chriſto filios, vt frequentes ſint, & deuoti in earum acquiſitione: vt tantus præ manibus non pereat ſine fructu theſaurus.

Non publicetur ſine facultate.

2 Nullus ſiue ſęcularis, ſiue regularis, etiam in propria Eccleſia quamlibet aut publicet, aut publicare faciat Indulgentiam ſine noſtra approbatione.

Tabella Indulgentiarum.

3 Omnes Parochi, & Rectores Eccleſiarum tabellam habeant, in qua Catalogus Indulgentiarum illius Eccleſiæ ſit, eamque ſpectabili loco ponant.

Indulgentia coarctata

4 Cum Indulgentia aliqua coarctata eſt ad Confratres tantùm, id exponatur in Tabella Indulgentiæ; ne alij errent putantes, eam omnibus eſſe communem.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM

De Sacramentis, & Sacramentalibus.

1 VIA, per quam Diuina gratia Chriſti ſanguine comparata fidelium mentibus affluenter illabitur, Sanctiſſima ſunt Eccleſiæ Sacramenta, fontes eorum bonorum, quæ à Deo ſperamus, & ſumimus. Siquidem per illa, vt Sacroſancta Synodus Tridentina teſtatur, omnis vera Iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa recuperatur. Summa itaque diligentia ſunt, ac pari deuotione tum conferenda, tum ſuſcipienda.

Sacramentorum vtilitas.

Conc. Trid. ſeſſ. 7. in Proœm.

2 In Sacramentorum adminiſtratione ſeruentur omnino ceremoniæ in Rituali Romano præſcriptæ, nec latum vnguem ab eis diſcedendo. Propterea omnes Parochi, & ad quos ſpectat miniſtratio Sacramentorum eumdem librum Ritualis editum iuſſu felic. record. Pauli Quinti habeant apud ſe.

Seruandus ritus.

3 Qui Sacramenta, & per ea gratiam alijs conferunt, in gratia Dei ſint ipſi oportet: vnde ſi conſcij ſint alicuius culpæ grauis, per confeſſionem; vel ſi id fieri non poterit, per actum contritionis eam curent abolere.

Miniſter ſit in gratia.

4 Parochi ſæpius moneant populum de vi, ac virtute Sacramentorum; de modo ea ſuſcipiendi, de reuerentia ijſdem exhibenda: & quòd ſuſcipiens omni grauis peccati labe purus accedere teneatur.

Populus docendus a Parocho.

5 Cum ad eorum adminiſtrationem ſiue in Eccleſiam, ſiue extra vocati fuerint, diligentes ſint; præſertim cum ad infirmos ea erunt deferenda.

Parochi diligentes ſint.

6 Res

Digitized by Google

Munditie vaſorum. 6 Res ad Sacramenta ſpectantia debito honore, ac munditia cuſtodiantur, vt vaſa, mappæ, & huiuſmodi.

Sacramentalia. 7 Non ſolùm Sacramenta, ſed & Sacramentalia, licet diuerſo modo, conferunt gratiam: quare neceſſe erit, debita animi deuotione, ac reuerentia ea tractare, atque recipere.

Aqua Benedicta. 8 Aqua benedicta ſeruetur tum in Eccleſia, tum etiam in domibus priuatis: multum enim valet ad Dæmonum inſidias abigendas; eaque ſæpius, ne putreſcat, innouetur; Ea aſpergatur populus in Miſſa conuentuali; luſtrentur etiam domus priuatæ à Parochis per hebdomadam ſanctam.

Candelæ. Cineres. Palmæ. 9 Benedicantur candelæ in die feſto Purificationis B. M. V. In die Cinerum Sacri etiam cineres, ijquè fidelium capitibus imponantur; nec non in die Palmarum Oliuæ, quæ dum populo impertiuntur, doceatur à Presbyteris, quę ſint eæ ceremonię, ac myſteria, quibus à Sancta Matre Eccleſia fidelium animi deuotione, ac pietate imbuuntur in Deum. Ab his verò ceremonijs abſtineant earum Eccleſiarum cuſtodes, qui animarum curam non habent.

CAPVT QVINTVM
De Sacramento Baptiſmi.

Diligentia in conferendo. 1 BAPTISMI Sacramentum, quo Cœlo renaſcimur, & quod aliorum Sacramentorum eſt ianua, neceſſarium in primis eſt ad ſalutem: Maximopere igitur inuigilandum eſt Parochis, nè quis paruulus eorum negligentia ſine Baptiſmo decedat, ſtrictam alioquin eius animę rationem Deo reddituris.

2 Circa

2 Circa adminiſtrationem huius Sacramenti, Parochi diligenter videant, quid illis Romanum Rituale pręſcribat; vbi de materia, de forma, de Miniſtro huius Sacramenti, de baptizandis paruulis, de patrinis, de tempore, & loco adminiſtrandi Baptiſmi, de ſacris Oleis, ac reliquis ad illum requiſitis, accuratè, & exactè tractatur; ex ijſque nihil omnino pręte reant. Seruandus ritus Eccleſiæ.

3 Cum puer defertur baptizandus, interrogentur Patrini (qui nec Regulares, nec impubes ſint) num rite fuerit iam baptizatus: ſi id factum Parochus reperiat, exorciſmos, & reliquas ſacras preces recitet, vnctioneſque perficiat. Si rationabiliter dubitetur, num Baptiſmi ſubſtantialia ſint peracta, iterum ſub conditione baptizet. Curet autem, vt puero nomen imponatur, quod in Sanctorum Catalogo ſit adſcriptum. Puer delatus ad Eccleſiam.

4 Sciant compatres, & commatres contrahi ab ipſis affinitatem ſpiritualem, quę ſufficit ad dandam ſpeciem diuerſam copulę, ſi adeſſet, eamque neceſſariò in Confeſſione aperiendam. Affinitas Spiritualis.

5 Admoneantur propterea de hac affinitate à Parocho, ſicut etiam ne arma in eo munere exercendo deferant; ne cum labe peccati grauis accedant, quin prius vel per confeſſionem, vel per contritionis actum illam expient: infames, & publicè peccatores repellantur ab eo munere. Patrini ſine armis, & ſine peccato.

6 Qui hoc Sacramentum adminiſtrat, in eo peragendo candelam accenſam infanti deferat in ſignum fidei, quę in illius anima incipit effulgere. Candela accenſa.

7 Nulla mulier ordinario Obſtetricis munere fungatur, niſi prius per noſtrum Vicarium approbata, & examinata, num formam Baptiſmi, & alia, quę ad eſſentiam illius pertinent, bene nouerit. Obſtetricès.

8 Dili-

Digitized by Google

Nomina Baptizatorum.

8 Diligenter aſſeruent Parochi librum, in quo deſcripta ſint nomina eorum, qui in ſuis Eccleſijs baptizati ſunt, adiecto die, atque anno Baptiſmi.

Puerperæ Eccleſiæ præſententur.

9 Mulieres puerperæ meminerint ſanctam, & antiquam ſeruare conſuetudinem, vt cum primùm à partu illis eſt liberum, adeant templum Dei, cui gratiæ referantur acceptæ.

CAPVT SEXTVM

De Sacramento Confirmationis.

Vis Sacramenti.

1 HOC Sacramentum valet ad roborandos Chriſti fideles in fide, quam in Baptiſmo ſuſcepere; idque ſæpius Parochi ſuos parochiales confirmandos doceant.

Pueri Confirmandi.

2 Cum primùm tempus ad confirmationem per nos indictum fuerit, inquirant ijdem Parochi, qui in ſuis parochijs ſint pueri prope ſeptennij non confirmati (ante quod tempus neminem confirmandum proponant) eoſque inſtruant de ijs, quæ ad Sacramentum ſuſcipiendum pertinent; & tempore debito, ad nos deferri curent cum fide præuij examinis, & approbationis.

Patrini huius Sacramenti.

3 Patrini eamdem cognationem contrahũt in hoc Sacramento, ac in Baptiſmo; eaſdemque conditiones habeant neceſſe eſt. Idem non pluribus, quàm duobus eadem die Patrinus aſſiſtat: & ab hoc abſtineat,q ui confirmatus non eſt; vel qui eiuſdem pueri patrinus fuerit in Baptiſmo.

Nominis mutatio.

4 Si pueri confirmandi inſigniti ſint in Baptiſmate nomine,

Digitized by Google

mine, quod in Sanctorum Catalogo non legatur, in hoc Sacramento per nos nouum accipient, quod alicuius Sancti ſit proprium.

5 Adulti confirmandi ſciant teneri ſe ab omni grauis culpæ labe purgare. Sine peccato.

6 Nullus ex noſtra Diœceſi accipiat extra illam hoc Sacramentum per manus alterius Ordinarij ſine noſtra facultate. Non extra Diœceſim.

7 Parochi habeant librum, in quo eorum nomina referantur, qui ſunt confirmati. Libello aſcribenda nomina.

CAPVT SEPTIMVM

De Sacramento Pœnitentiæ.

1 QVANTVM vtilitatis, ac commodi fidelibus accedit ex Sacro Pœnitentiæ Sacramento rite adminiſtrato, ſanctèque peracto; tantum iiſdem prouenit detrimenti niſi debita doctrina, atque prudentia ab Eccleſiæ miniſtris erogetur: in quo illud præcipuè Sacerdotes Dei præ oculis habere neceſſe eſt, ne hinc rigor, & auſteritas retrahat ab hoc Sacramento fideles; inde nimia indulgentia, atque non opportuna miſeratio anſam præbeat ſordeſcendi amplius ei, qui in ſordibus eſt. Prudentia, & Scientia Confeſſarij.

2 Nullus ſeu Sæcularium, ſeu Regularium Sacerdotum confeſſiones noſtrorum ſubditorum audire præſumat, niſi prius per nos fuerit approbatus. Approbatio Epiſcopi.

3 In ſede confeſſionali, quę in loco aperto, & publico eſſe debet, & cum tabulis, vel laminis ferreis, aut æneis perforatis inter confeſſorem, & pœnitentem, ex Sedes confeſſionalis.

vna parte ſit Bulla, quę legi ſolet in Cœna Domini, ex alia catalogus Caſuum, quorum abſolutionem nobis volumus reſeruatam.

Mulierum confeſſiones.

4 Mulierum confeſſiones nec ante ortum, nec poſt occaſum Solis excipiantur: & non niſi ad crates confeſſionarij.

5 In Eccleſijs, in quibus non ſeruatur Sanctiſſima Euchariſtia, nulla ſit ſedes confeſſionalis.

Conferentia caſuum conſcientiæ.

6 Statuto die, & hora confeſſores omnes nobis ſubiecti conueniant in condictum locum ad habendam Caſuũ conſcientię conferentiam, quam per viros eruditos à nobis deputandos fieri mandabimus.

Rudes docendi.

7 Pueri, ac rudes ante abſolutionem examinentur à Confeſſoribus, an ſciant primæ noſtræ fidei myſteria, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & præcepta Decalogi: & ſi quidem ea ignorare compererint, curent vel per ſe, vel per alios quamprimùm eos edoceri.

Tabella Confeſſariorũ.

8 In Cathedrali Eccleſia, & in Matrice per Diœceſim publicè ſit expoſita tabella referens notam confeſſariorum, qui per nos ibidem approbati ſunt.

Superpelliceũ, & Stola.

9 Omnes Confeſſarij nobis ſubiecti non niſi cum ſuperpelliceo, & ſtola confeſſionibus audiendis aſſiſtant.

Priuatæ confeſſiones.

10 In domibus priuatis extra caſum infirmitatis, Sacramentum pœnitentiæ non adminiſtretur.

Infirmorum confeſſiones.

11 Confeſſarij vt primùm ad infirmos inuiſendos, ac ſolandos vocati fuerint, ne morentur eò ſe transferre, & inuigilent, ne ab ijs vitæ periculum ſubeatur, ſine tam neceſſario Sacramento, ad quod omni cura, ac dexteritate eos adornare, ac diſponere conabuntur.

Medici infirmos admoneant de confeſſione.

12 Medici meminerint grauis à ſe præſtiti iuramenti non viſitandi infirmum vltra tres dies, niſi expiatum Sacra

Digitized by Google

cra Exhomologeſi. In quo non parum nobis dolendum eſt de impia commiſeratione plurium conſanguineorum, qui ne infirmum timore mortis exturbent, certa ſpe ſalutis illius mentem ita firmare nituntur, vt ſibi perſuadeat non moriturum; ac propterea animum auertat ab ijs Sacramentis, quæ migraturis ex hac vita conferuntur.

13 Si alius quàm proprius Parochus infirmo abſolutionem impenderit, id Parocho vel per ſe, vel per Syngrapham in infirmi domo relictam, notum faciat. *Parochus monendus.*

14 Ad ſeruandum huius Sacramenti inuiolabile ſigillum, in primis confeſſarij in concurſu pœnitentium eos, qui non confitentur, tam longè expectare iubeant, vt non poſſint audire, quæ dicuntur: deinde inter confitendum non geſtu, non nutu, non motu aliquo dent indicium eorum, quæ audiunt: denique de rebus auditis in confeſſione nullo modo ſermonem miſceant, etiam ſi eæ ad confeſſionem, & peccata non ſpectent. *Sigillum huius Sacramenti.*

Cenſuræ, & Caſus Epiſcopo Reſeruati.

1 EXcommunicatio contra alienantes bona Eccleſiæ, vel piorum locorum abſque aſſenſu Apoſtolico, & alijs ſolemnitatibus: contra aliquam, ſeu aliquem ad minus liberè Matrimonium contrahendum; ſeù Mulieres ad regularem habitum ſuſcipiendum cogentes; vel illas ne velum ſuſcipiant, aut profeſſionem emittant, impedientes inflicta. *Excommunicationes.*

2 Blaſphemia in Omnipotentem Deum. *Contra primũ præceptum.*

3 Sortilegia, veneficia, incantationes, & id genus alia.

4 Percuſſio in Patrem, vel Matrem. Homicidium vo- *Contra quintum.*

luntarium, & ad illud auxilium, conſilium, mandatum, & conſenſum dantes. Procuratio abortus poſtquam fœtus fuerit animatus, conſilium, auxilium, mandatum, & conſenſum ad illum dantes. Si quis Infantes ante completum annum in eodem lecto detinuerit.

Contra ſextum.

5 Nefandum ſcelus cum Maſculis, Mulieribus, & brutis. Inceſtus vſque ad ſecundum incluſiuè conſanguinitatis, vel affinitatis gradum, & cum ſpirituali cognatione coniunctis. Raptus Mulierum. Stuprum. Concubinatus vltra quatuor menſes.

6 Si quis inhoneſtos actus, ſeu inhoneſta verba cum Monialibus habuerit, aut inhoneſta continentes ad ipſas litteras, vel libros miſerit, ſeu dederit.

Contra ſeptimum.

7 Incendium, ſiue arborum in Eccleſiæ, vel piorum locorum ſolo exiſtentium inciſio.

8 Si quis Infantes expoſuerit, cum habeat, vnde illos alat, vſque dum damnum paſſo ſatisfactum fuerit.

9 Scripturarum falſificatio, & ſuppreſſio in aliorum præiudicium, & falſa in iudicio depoſitio.

Contra famam proximi.

10 Scriptio, vel tranſmiſſio litterarum, ſeu memorialium contra quoſcunque falſa, vel vera iniuſtè continentium, nullo, vel falſo nomine ſuppoſito.

Nullus præſumat abſoluere.

VOLVMVS autem hìc admonitos Confeſſarios omnes tum ſæculares, tum Regulares, ne prætextu cuiuſcumque facultatis, aut indulti audeant ſine ſpeciali noſtra licentia à ſupradictis caſibus quempiam abſoluere.

Caute vtendũ facultate.

Præterea admonemus eos, quibus talis licentia per nos fuerit conceſſa, vt ea maturè, & ſapienter vtantur; ne, qui ſperatur fructus reſeruationis, euacuetur.

Demum

Digitized by Google

Demum nemo audeat vota commutare, niſi qui ſpeciali gaudet priuilegio. Votorum commutatio.

CAPVT OCTAVVM

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

1 MEMINERINT in primis Parochi ſeruare adamuſſim, quæ illis ſeu in ſeruandis, & deferendis ſacris Oleis, ſeu in adminiſtratione huius Sacramenti à Rituali Romano praeſcribuntur. Ritus ſeruandus.

2 Parochus quacunque hora, ſeu interdiù, ſeu noctu ad hoc Sacramentum conferendum fuerit aduocatus, illico eò ſe conferat; & ſub grauibus noſtro arbitrio pœnis inuigilet, ne quis ſua culpa ſine illo decedat. Vnde ſi ipſe fuerit aliqua vrgenti neceſſitate præpeditus, ad id muneris obeundum aliquem alium pium Sacerdotem deleget. Infirmorum cura.

3 Poſt ſacram vnctionem (quæ ſolis in vitæ periculo ob morbum aliquem conſtitutis, & ſemel tantùm in eadem infirmitate impendi debet) Parochus infirmum ne deſerat, ſed vel per ſe, vel per pios Sacerdotes in eo vltimo, atque adeo periculoſiſſimo conflictu illi curet adſtari; & quà cohortando; quà pios actus Fidei, Spei, & Amoris in Deum ſuggerendo; quà pias recitando preces in tam graui agone eluctans anima roboretur. Quibus danda Extrema Vnctio. Infirmus in extremis non deſerendus.

4 Sacrum oleum nunquam à laycis perſonis deferri permittatur, neque adhibeatur in medelam, aut alium vſum. Vſus Olei Sancti.

5 Pa-

Nomina libello adſcribenda.

5 Parochi omnes in libello, cui nomina defunctorum adſcribuntur, notent etiam eos, qui Sacramentum Extremæ Vnctionis exceperint.

CAPVT NONVM

De Sacramento Matrimonij.

Seruãdus ritus præſcriptus.

1 AD euitanda, quæ ſępius accidunt ſcandala in Matrimonij contractu, ſtrictè, ac rigoroſè ſeruentur, quę in ſacroſancto Concilio Tridentino, & ex illo in Rituali Romano pręſcribuntur, tam quoad ſuſtantialia, quam quoad accidentalia huius Sacramenti.

De impedimentis.

2 Parochi doceant eos, qui contrahere volunt, de impedimentis pręcipuè dirimentibus, quę ex ſacris Doctoribus ipſi bene nouerint.

Trina denunciatio.

3 Denunciatio trina fiat in diebus feſtis à Parocho proprio vtriuſq; contrahentis; & ſine noſtra ſpeciali facultate, quam ſolùm ob vrgentiſſimam cauſam concedemus, nulla earum prętermittatur.

Sponſi de futuro ſimul non conuerſentur.

4 Caueant Sponſi de futuro ſimul conuerſari niſi domeſticis adſtantibus. In quo non poſſumus vtriuſque ſponſi conſanguineos non reprehendere,qui dum per incuriam inuiolabile hoc ſacramentum, à quo familiarum propagationes obueniunt,violari quodammodo permittunt, non aduertunt, vnde amoris, ac beneuolentię inter agnationes ſperabatur incrementum, inde ſępius diſſenſionum, atq; odiorum ſegetem vberrimam, Deo vindice, proſilire. Strictè itaque pręcipimus ad euitanda, quę proxima ſunt in hac re pericula, ne ſponſi de futuro ſimul ſine arbitro colloquantur.

5 Non

Digitized by Google

5 Non facilè admittantur ad contrahendum, qui recitare non nouerint Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & præcepta Decalogi. Rudes in rebus fidei.

6 Deſponſatio fiat in Eccleſia; extra quam ſine grauiſſima, & vrgentiſſima cauſa nulli dabitur facultas contrahendi: & ſi quando iuſtis de cauſis eam dandam eſſe contigerit, volumus à contrahentibus ſolui ſcuta tria Monaſterio Pœnitentium. Valde enim dedecet, homines rem ſũmi momenti ab alio, quàm à ſacris locis auſpicari. Deſponſatio in Eccleſia.

Diuortium.

7 Cum grauis aliqua diſſenſio inter coniuges coorta fuerit, caueant, ne diuortium propria autoritate faciant; ſed noſtrã conueniant curiam, ibiq; ſententiã expectent.

8 Omnes quicunque, vel vxorati fuerint, vel liberi, deprehenſi in concubinatu vltra quartum menſem perduraſſe, excommunicationis Anathemate damnentur; è Cõfraternitatum libris, atque catalogis expungantur; ſi verò ius quodcumque patronatus habeant, permanentibus illis in eo peccato, nulla ſit eorum præſentatio occaſione vacationis exhibita. Pœna in Concubinarios.

9 Parochis omnibus, animarumque rectoribus ſeuerè mandamus, vt in hoc ſummam adhibeant vigilantiam; & ſi quem in eo peccare deprehenderint, ad nos ſtatim deferant, ſupremo alioquin iudici ſtrictam reddituri rationem, & graues daturi pœnas ſuę conniuentię. Parochorum cura in hoc.

10 In publicis hoſpitijs, Cauponis, & Tabernis meretriculę, & ſuſpectę mulieres non detineantur ſub pœna ſcutorum vigintiquinque, tam à detinentibus, quàm ab ipſis mulieribus exigenda. Si eius generis mulieres peregrinæ ſint, in ijſdem locis vnam non amplius noctem immorari permittantur ſub eadem pœna. Hoſpitium muliercularũ.

11 Meretrices verò, quæ in Vrbe commorari permittuntur, Meretricibus locus addictus.

Digitized by Google

tuntur, omnes in vnum recedant locum deputandum à nobis: ſordes enim ſi eòdem confluant, totam reliquam Ciuitatem expurgant.

CAPVT DECIMVM
De Funeribus.

Funeraliū cura commendatur.

1 SVPREMVM, adeoque maximè pium, quod proximis noſtris vita functis exhibemus, & quod ab alijs aliquando nos accepturi ſperamus officium, ſumma decet cura, & charitate præſtare; quapropter omnis auaritiæ, atque contentionis ſuſpicio vitanda eſt.

Seruandi ritus.

2 In primis adamuſſim ſeruentur in tumulandis fidelium cadaueribus, quæ Rituale Romanum titulo de Exequijs accuratè præſcribit.

Nullus inducendus ad electionem ſepulturæ.

C. animarū periculis de ſepult. in 6.

3 Meminerint omnes Eccleſiarum Rectores, ac miniſtri tam ſæculares, quàm Regulares Conſtitutionis Bonifacij VIII. qua illis ſub interminatione maledictionis æternę prohibetur, ne aliquem ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu aliàs promittendum inducant, vt apud eorum Eccleſias ſepulturam eligat, vel iam electam vlterius non immutet: ſi ſecus factum fuerit, electio nulla erit; ſi ſepeliatur, Eccleſia, ſiue Cœmeterium interdicto ſubiacebit, prout in eadem Conſtitutione pręſcribitur.

Electio libera.

4 Liberum, atque integrum eſt vnicuique ſepulturam eligere. Dum quis ſine electione decedit è vita, ſi ſit peregrinus, in Eccleſia Matrice, ſi Ciuis ſepeliendus eſt in ſepulchrò ſuorum maiorum; & eo deficiente, in Eccleſia Parochiali, excepta vxore, quæ ſic decedens ſepulchro viri condenda eſt.

5 Quod

Digitized by Google

5 Quod ſpectat ad prouentus, ſeu eleemoſinas ex funeribus prouenientes, mandamus ſeruari præſcriptum mox edendum. Regularium Magiſtri, & graduati duplicatas ſicut Canonici excipient. Cæterùm Clerici, & Sacerdotes omnes ita in hoc munere obeundo ſe gerant, vt pietatis, & non turpis lucri gratia illud præſtare demonſtrent. Præſcriptio Eleemoſinæ.

6 Cadauera non humentur ante vigeſimam horã elapſam ab efflatione animę: ſi qui verò repentino ſuſtollantur caſu, non niſi poſt vigeſimamquartam; ne vllum mortis dubium ſuperſit. Humatio cadauerum.

7 Iuxta conſtitutiones antiquas Canonum, & vſum in vniuerſali Eccleſia receptum, pauimenta ad condenda cadauera non effodiantur; ſed profunda, & concamerata excauentur ſepulchra, quæ bene obſerata ſint, ne halitus inde ſpirans poſſit accedentium nares offendere. In ijs, quæ æquata debent eſſe ſolo Eccleſię, non cruces inſculpantur, non imagines Sanctorum; ne pretereuntium pedibus indecorè conculcentur. Conſtructio ſepulturæ.

8 Nullus ſepeliatur prope altare, neq; ſupra parietes. In erigendis inter exequias nobilium Cenotaphijs, ſeu honorarijs tumulis ſeruetur pręſcriptum Ritualis Romani, quod antiqua noſtrę Ciuitatis conſuetudo ſeruauit ſemper; neque ambitionis, ac ſuperbię materia quęratur ex cinere, ac puluere: paucis enim ab hinc annis ſecus factum eſſe non ſine animi noſtri ſenſu percepimus. Cenotaphij pompa.

9 Cum primùm innotuerit, ſacerdotem aliquem in hac noſtra Ciuitate, aut eius territorio vita functũ eſſe, iuxta morem iam piè inuectum detur lugubre ſignum ternarum campanarum pulſatione. Pręterea mandamus omnibus Sacerdotibus, vt, cum primum eis liberum fuerit, ſemel pro illo offerant Miſſę ſacrificium. Miſſa pro defuncto ſacerdote.

Digitized by Google

Adſtandum exequijs.

10 Qui funus proſequuntur in Eccleſiam, inde niſi completo officio ne diſcedant; aliàs habeantur vt abſentes: prçterea mandamus ijs, qui diſtributionibus faciendis prçſunt, ne eas faciant ante expletas exequias.

Recognitio cadaueris.

11 Poſt quàm corpus defuncti vel ſepultum, vel in Eccleſiam delatum fuerit, nulli amplius liceat illud iuridicè recognoſcere, nec alios ſimiles actus circa illud exercere. Corpora verò per vim necatorum non ante in Eccleſiam inferantur, quàm per noſtram, vel laycalem curiam inſpecta fuerint, & de genere mortis exploratum.

Non differenda ſepultura.

12 Cauendũ maximè eſt, ne prætextu aliquo ſeu quartæ funeralis, ſeu prçtenſionis aliarum rationum differatur vltra ſtatutum tempus ſepultura cadaueris; daturis alioquin grauiſſimas noſtro arbitrio pœnas ijs quorũ culpa talis mora contigerit. Quòd ſi aliquod dubium oriatur, mandetur terrç corpus defuncti, deinde ad nos cauſa deferatur.

Dies anniuerſaria pro Epiſcopis.

13 Semel in anno prima die non impedita poſt Commemorationem omnium fidelium Defunctorum fiat in noſtra Eccleſia Cathedrali dies anniuerſaria pro omnibus Epiſcopis anteceſſoribus noſtris, qui huic Maceratenſi Eccleſiæ prçfuere Paſtores.

Præfectus funerum.

14 Vt hæc omnia rite peragantur, conſtituimus ſuper funeribus Præfectum Adm. R. D. Can. Amicum de Amicis, cuius partes erunt inuigilare, vt quç in hac re ſunt à nobis ſtatuta, ſeruentur.

De Cœmeterijs.

15 Vbi ſunt Cœmeteria, cuſtodiantur ab Eccleſiç rectoribus ea diligentia, vt defunctorũ oſſa decenter quieſcant; & quò ſine claui nulli patere poſſit acceſſus: Salutifero Crucis ſigno, eoque ſpectabili muniantur. Id verò ſi loci non patiantur anguſtiæ, in aliam partem debito cum honore transferantur.

A P-

Digitized by Google

APPENDIX
AD SYNODVM.

1 VBI in Synodalibus decretis, atque præceptis nulla addita eſt pœna tranſgreſſoribus, noſtro arbitrio eam reſeruatam eſſe declaramus.

2 Vbicunque in ſuperioribus conſtitutionibus aliqua nobis definienda reſeruamus, nolumus ea Vicarij noſtri Generalis iura tranſcendere, adeo vt ab illo etiam definiri non poſſint: exceptis ijs, quæ ad ordinem ſpectant Epiſcopalem.

3 Decreta illa, quorum executioni tempus præfinitum non eſt, trium tantum menſium complectuntur inducias.

4 Demum omnia, quę in hac noſtra Synodo vel per decreta, vel per paternas adhortationes Clero, populoque Maceratenſi ſunt enunciata, ea non niſi iuxta Sacrorum Canonum, & Conciliorum, pręcipuè verò Tridentini ſenſum intelligenda eſſe declaramus. Quapropter omnia,& ſingula Sanctiſs. D.N., Sedis Apoſt. nec non Eminentiſſimorum D. D. Noſtrorum Cardinalium ſuper interpretatione Tridentini Concilij iudicio, ac cenſurę ſubmittimus.

Die duodecima Septembris 1651.

Papirius de Silueſtris Epiſcopus Maceratenſis.

Claudius Claudianus Canonicus Maceraten. Secr.

CVM ſupradicta Decreta Synodalia alta, & intelligibili voce per Adm. Reu. D. Lucam Angelum Galeottum Canonicum Cathedralis Eccleſiæ I. V. D. lecta fuiſſent coram Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino D. Papirio de Silueſtris Epiſcopo Macceraten. & vniuerſo Clero, nec non Ciuitatis Maceratenſis Senatu; Interrogati fuerunt per Adm. Reu. D. Claudium Claudianum Canonicum Cathedralis Eccleſiæ I. V. D. & Synodalem Secretarium omnes præſentes per hæc verba.

Placent ne vobis, Patres venerabiles, hæc Decreta Synodalia, eaque approbatis?

Reſponderunt; Placent, & approbamus.

Tunc Adm. Reu. D. Malateſta Gabutius Canonicus Cathedralis I. V. D. Promotor Synodalis iuſſit fieri inſtrumentum ſuper his per me infraſcriptum publicum Notarium, & Curię Epiſcopalis Cancellarium.

Acta fuerunt hæc Maceratæ in Eccleſia Cathedrali Maceraten. debitis pręmiſſis ceremonijs ſub diebus tertia, quarta, quinta, & duodecima Menſis Septembris Anno Domini Milleſimo Sexanteſimo Quinquageſimo primo, Indictione quarta Tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. INNOCENTII Diuina prouidentia Papę Decimi Anno eius Septimo; Pręſulatus verò pręedicti Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Papirij Nono, Coram, & pręſentibus ibidem Perilluſt. & Reuerendiſs. D. Ludouico Signorio I. V. D. Prothonotario Apoſtolico, & Vicario, ac Auditore Generali Macerat. Illuſtriſs. D. Comite Cęſare Ferretto de Ancona, & Perilluſt. D. D. Hypolito Auriſpa, & Baptiſta Philippuccio Patritijs Maceraten-

Digitized by Google

ceratenſibus, & Vniuerſo Clero huius Ciuitatis Macerat.

Et quia Ego Felix Caputoſtus Ciuis Maceraten. publicus Apoſtolica auctoritate, & modo Curię Epiſcopalis dictæ Ciuitatis, ac eiuſdem Synodi Notarius de pręmiſſis à dicto D. Promotore Synodi rogatus extiti.

Ideo in fidem hic ſubſcripſi, & publicaui, ac ſolito meo ſigno ſignaui &c.

Loco * Signi dicti Notarij.



Digitized by Google

Digitized by Google

BREVE INSTRVTTIONE
A CVRATI ET ALTRI
CHE HANNO CVRA D' ANIME
Per inſegnare à Fanciulli
La Dottrina Chriſtiana.

1 *GRANDE è l' obligo, che hà ſopra di ſe chiunque hà cura d'anime, tenendo in depoſito il più ricco teſoro di Chriſto Signor Noſtro, il quale ſpeſe il ſangue, e la vita ſua per ricomprarlo. Ma queſta obligatione è particolarmente inuerſo li fanciulli, che come cera molle prendono quella figura, che li dà, chi la maneggia. Però il Signore tanto minacciaua à chi era d'inciampo nella via del Cielo ad vno di queſti. E perche quello, che beue la tenera età, lo ritiene per tutto il reſtante della ſua vita, à guiſa d'vn vaſo nuouo, che mantiene lungamente le qualità del primo liquore, di cui fù imbeuuto; è di neceſſità, che li piccoli fanciulli ſubito che cominciano à ſnodare la lingua, imparino à formare parole buone, e ſante; parole che eſplichino li primi Miſteri della noſtra fede: perche ſe bene per all'hora non è capace l'animo loro à comprenderne il ſignificato; nulladimeno nel venire l' vſo della ragione, troua facilità di capire ciò, che per prima la lingua s'era aſſuefatta à più volte repetere.* *Importanza della Dottrina Chriſtiana.*

2 *Deuono*

Digitized by Google

Obligatione della Dottrina Chriſtiana.

2 *Deuono adunque tutti quelli, che hanno cura d'anime ſotto graue obligatione ò per ſe ſteſſi, ò per mezzo di perſone idonee inſegnare la Dottrina Chriſtiana à fanciulli, e fanciulle, che ſtanno ſotto la loro cura.*

Il tempo di farla

3 *Il tempo più opportuno di far ciò, ſarà il giorno della Domenica fatto per attendere a' negotij dell'anima: Nelle Chieſe de' luoghi muràti il doppo pranſo, quando il popolo ſi raduna per vdire li ſanti Veſpri: ma nelle Chieſe rurali di campagna, la mattina mentre la gente viene alla Meſſa: e ſopra ciò s'inuigilerà molto da perſone deputate da Monſig. Illuſtriſſimo Veſcouo, che ſarà riſentimento, ſe vi ſi manca.*

Si facci la nota de fanciulli.

4 *Notinſi primieramente dal Curato i nomi di tutti li fanciulli, e fanciulle, che non paſſano quattordici anni in circa. Dipoi s'auuiſino li parenti del graue obligo, che hanno di far sì, che li figli imparino la Dottrina Chriſtiana, & in ciò li ſi incarichi la coſcienza.*

Il ſegno con la Campana.

5 *Il giorno della Domenica, vn'hora prima di cominciare la Dottrina, ſi dia vn ſegno particolare con la campana; e radunati li fanciulli, e fanciulle in Chieſa, ſi principiarà, ſtando tutti inginocchiati, con la recitatione del Pater, Aue, Credo, e tal' hora de' dieci Comandamenti con voce alta, e diſtinta intonando alcuni pochi, e repetendo tutti gli altri l'iſteſſe parole; perche così molto s'imprimono nelle menti de' figliuoli. Il che fatto, ſi faranno ſedere tutti con ſilentio, e modeſtia, ſtando ſeparate le fanciulle dà' fanciulli.*

L'incominciamento della Dottrina.

6 *Queſto ſarà il modo d'incominciare ad inſegnare la Dottrina Chriſtiana. In quanto alla materia di quella, deue chi ha da fare queſt'eſſercitio, hauere il Cathechiſmo de' Parochi, e la Dottrina grande del Cardinal Bellarm. ſtampata d'ordine di Clemente VIII per queſto fine, acciò poſſieda bene, e fondatamente quello, che ha da inſegnare ad altri.*

Libri per la Dottrina Chriſtiana.

Che s'ha da inſegnare.

7 *Alli fanciulli, e fanciulle, che ſono ſotto li ſett'anni, le s'inſegni il Segno della Croce, il Pater, Aue, Credo, e poco à poco li*

dieci

Digitized by Google

dieci Comandamenti. Paſſati li ſette anni, ſe gli facci imparare la Dottrina Christiana breue del medeſimo Card. Bellarmino; gli ſi eſponghino li Miſteri di noſtra fede, e principalmente il Miſtero della Santiſſima Trinità, e dell'Incarnatione, e morte del noſtro Signor Gieſù Chriſto. Et auuertaſi, che ſe bene sì alti Miſteri non potranno eſſere capiti da' giouinetti, nulladimeno baſta che formino vn rozzo concetto di quelli, e che ſappiano dirli nella forma, che quì ſi ſoggiunge.

8 *Il Miſtero della Santiſſima Trinità è, che in vn ſolo Dio ſono tre perſone Padre, Figlio, e Spirito ſanto; tutte tre vguali in Potenza, Sapienza, e Bontà. Il Figlio procede dal Padre, lo Spirito ſanto dal Padre, e dal Figlio inſieme; non però vna è prima, ò maggiore dell'altra: ſono ſtate ab eterno, & eternamente ſaranno.* *Miſtero della Santiſſima Trinità.*

9 *La ſeconda perſona, che è il Figlio, preſe carne nel puriſſimo ventre di Maria Vergine; nacque, e viſſe fra noi; predicò la via del Cielo; e da peruerſi fù crocifiſſo, e morto. Riſuſcitò da morte, & aſceſe al Cielo, doue regna alla deſtra del Padre: vn' altra volta verrà à giudicare li viui, e li morti, condannando all'inferno li triſti, doue eternamente ſaranno tormentati; e dando la gloria del Cielo a' buoni, doue ſenza fine goderanno.* *Miſtero dell'Incarnatione.*

10 *Queſte coſe deuonſi ſpeſſo repetere a' giouanetti, ſpiegandogliele vna per vna con ſimboli, e ſomiglianze, ſin tanto che le ſappiano ridire. E così degl' altri Miſteri di noſtra fede, che tutti dicono ordine à que' due.*

